DE SENECAE PHILOSOPHIA DISSERTATIO.

SCRIPSIT

ERNEST. JULIUS MAURIT. WERNER,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET AA. LL. MAGISTER,

SEMINARII REGII PHILOLOGICI VRATISLAVIENSIS
OLIM SODALIS.

VRATISLAVIAE,

APUD JOSEPHUM MAX ET SOCIUM,

MDCCCXXV.

VIRO

DOCTISSIMO, CLARISSIMO, ILLUSTRISSIMO,

D. JOANNI CASPARI FRIDER. MANSO

GYMNASII MAGDALENAEI RECTORI ATQUE PROFESSORI PRIMARIO, ORDINIS ILLUSTRISSIMI AB AQUILA RUBRA EQUITI, PRAECEPTORI CARISSIMO ET FAUTORI BENIGNISSIMO

SUMMAM REVERENTIAM ATQUE VENERATIONEM PUBLICE EXHIBITURUS

HOC PRIMUM STUDIORUM SPECIMEN

PIA ET GRATA MENTE

DEDICAT

AUCTOR.

Corrigenda.

P. 10. lin. penultima indicamus leg. incidamus
— 19. lin. penult. Seneca leg. Senecae
— 24. not. 18. lin. 6. ab initio, adqnisitum leg. adquisitum
— 24. not. 18. lin. 11. cognittonis leg. cognitionis
— 29. not. 36. lin. 2. ed. Meibom. leg. ed. Fabricius.
— 43. not. 66. lin. 2. digniter leg. digne
— 53. lin. 3. utrumque leg. utramque
— 66. lin. 19. et 20. di- sputemus leg. dis- putemus
— 80. not. 90. lin. penult. praetermisit. leg. praetermisit,
— 82. lin. 6. agamns leg. agamus
— 88. lin. 6. apnd leg. apud
— 96. lin. ultima digniter leg. digne
— 111. not. 92. lin. 2. indicerunt leg. inciderunt
— 111. not. 92. lin. 17. qnem leg. quem
— 112. lin. 14. contacta leg. contactu.

Ne actum acturus videar, hanc de Senecae philosophia dissertationem conscribens, pauca praefanda sunt. Stoicae enim philosophiae a primis inde temporibus, quibus liberaliorum litterarum studium, pulsa barbarie, reflorescere coepit, eam contigisse sortem, ut plurimi operam suam atque ingenium intentissimo studio illi impendere sibi proposuerint, tum inter omnes constat, tum probe demonstratur scriptorum, quae de illa exstant, numero, quorum index si deinceps ponantur, accedantque Senecae editionum tituli, fere libellum efficiat. Non immerito igitur videri possum vituperandus, qui istorum numerum novo aliquo opusculo augere non dubitem. Impulit tamen, quod, cum circumspicienti mihi ubique multa occurrerent scripta aut ad indolem totius philosophiae Stoicae pertinentia, aut ad comparationem cum aliis philosophorum systematis spectantia, deessent, quibus accuratius agere-

tur de discrimine inter singulorum Stoicorum placita, quod, ut jam pridem viri docti notarunt, non est nullum. Quamvis enim Tennemannus [1]) optime aptissimeque singulorum Stoicorum placita inter se discernit, tamen Senecam minus pertractat, et ea, in quibus potissimum conspicitur a reliquis abscedens, omnino fere silentio praetermittit, ad singula quaedam ideoque minora conversus. Tiedemannus [2]) vero in consuendo systemate Stoico ita agit, ut paria docuisse omnes Stoicos putasse videatur, quippe qui promiscue omnium utitur auctoritate in exponendis singulis placitis, parum respiciens temporum diversitatem et ob id ipsum pugnantia, toties Stoicis objecta, augens magis quam minuens. Si vero quis quaerat, num omnino jure id fiat, ut discernantur inter se singulorum Stoicorum placita, cum communis omnibus et origo sit et Zenonis auctoritas: hunc ad historiam philosophiae ipsam delegamus et inspicere jubemus ea, quae docuerunt Zeno et Cleanthes et Chrysippus, quorum quisque philosophiam habet si non singularem et propriam, tamen peculiari aliqua ratione propositam et excultam, ut, cum con-

1) Gesch. der Phil. Tom. IV. et V.
2) Syst. der Stoisch. Phil.

sentiant in universis atque in decretis generalibus, in iisdem deducendis et accuratius describendis dissentiant. Idem vero, de philosophia Senecae valere cuilibet facile adparebit, qui diligenter tum hanc examinaverit, tum, quid ipse de hac re saepius pronunciet, respexerit. Stoicam enim philosophiam professum esse Senecam ipsum, e locis innumeris liquet, quibus illi sese adscribit. Ex altera autem parte a Stoicis se dissentire libere fatetur [3]), immo toties affert atque comprobat reliquorum philosophorum sententias, ut saepius Platonem [4]) et prae caeteris Epicurum [5]) sequi videatur, quam Zenonem et reliquos Stoicos, unde haud temere aliquis dixerit, Senecam ei potius adsignandum esse philosophorum generi, qui nulli systemati philosophico se addicentes, papilionum more ex omnibus aliquid decerpant, et quidquid placuerit, sibi vindicent. Nec huic judicio non conveniunt diserta ipsius Senecae verba, quippe qui, quidquid bene dictum sit vel ab iis qui non sint Stoici, suum esse praedicat [6]); non

3) Sen. ep. 57. p. 171. ed. Schweighaeuser. — ep. 9. p. 22.
4) Sen. de ira I. cp. 6.
5) Ep. 2. p. 6. — ep. 4. p. 10. — ep. 7. p. 18. et in omnibus epist. inde ab ep. 11. ad 30.
6) Ep. 12. p. 35. — ep. 16. p. 50. — ep. 33. p. 106.

enim, inquit [7]), me cuiquam emancipavi; nullius nomen fero; multum magnorum virorum judicio credo, aliquid et meo vindico. Quid vero quod adire se dicit sapientiae inventa tanquam multorum hereditatem [8]), mihi ista, scribens, adquisita, mihi ista laborata sunt. Iniquos tamen fore qui ob haec ipsa excludendum esse Senecam e Stoicorum numero censeant, tum diligentior philosophiae ejusdem inspectio mox docebit, tum ipse aliis in locis vetat, accuratius explicans suam de re proposita sententiam. Quae enim placita ipse ab aliis quodammodo mutuo sumit et in usum suum convertit, non sunt repugnantia Stoicis, sed ejusmodi quae jure dici possint non Epicuri et reliquorum voces, sed publicae [9]), in quibus conspiciatur veritas illa, omnibus qui philosophiam profiteantur sancta atque inviolabilis, quam alii tantum alio modo invenisse sibi videantur et quasi alia veste indutam in conspectu ponant, cum ipsa semper sit eadem. Recte igitur contendere poterat Seneca, ne Stoico quidem esse aliena, quae veritatis vestigia prementia ex Epicuri hortulis

7) Ep. 45. p. 131.
8) Ep. 64. p. 194.
9) Ep. 21. p. 67. — ep. 33. p. 106.

ad eum deferantur. Quamquam vero ipse praedicat, se nullius nomen ferre, tamen ex altera parte saepius ducem e reliquis eligere jubet, quem sequamur quidem in cujus tamen non juremus verba [10]), cum turpe sit ex commentario sapere nec quidquam de suo proferre [11]). Bene enim viderat plurimum interesse inter eos qui invenerint placita, et qui doceant tantum [12]) atque hos id agere, ut philosophia potius difficilis quam magna videatur. Igitur per Stoicam philosophiam non veluti lege Seneca animum liberum ligari voluit, sed tantum dirigi, ne fluctuet duce destitutus. Quodsi haec ratio, qua ad philosophiae studium accedendum esse putavit Seneca, nihil in se habet quod vituperari possit, immo laude dignissima videtur, cum qui novum systema philosophicum edere non possit, hac sola vindicetur a caeco imitationis studio, quod recte ridet atque turpitudinis arguit Seneca [13]) haec dicens: Turpe est, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit; tu quid? hoc Cleanthes; tu quid [14])? non est

---

10) Ep. 52. p. 155.
11) Ep. 33. p. 106.
12) Ep. 71. p. 235.
13) Ep. 33. p. 106.
14) Nos addimus: Hoc Kantius, hoc Fichtius, hoc Schellin-

quod adversus eos disputemus, quorum judicio Seneca iis est adnumerandus, qui nihil nisi aliorum philosophiam, qualis tradita fuerit sine omni mutatione in se recipere atque sine augmento proprii ingenii servare possint, nec quod a levitatis criminatione defendamus consilium nostrum, operae pretium esse judicantes investigare in modum, quo philosophia Stoica duce atque magistra suam excoluerit Seneca. Quaestiones vero de singulis philosophiae Stoicae capitibus hic illic immixtas non aegre latum iri spero, cum illis tantum indulserim, quoties res a recentioribus, qui eandem tractassent, aut minus accurate aut minus dilucide exposita videretur, quam opus esset ad recte dijudicanda Senecae placita. Saepe enim dissentire ille putari poterat, ubi re bene examinata nnllus esset dissensus.

Si vero ex hac parte in iis, quae in hac dissertatione respicienda erant, opus erat nonnulla amovere, quae quaestionem gravissime impedirent, non leviora supererant, si ad philosophiam Senecae ipsam respicimus. Adest quidem satis magnus scriptorum hujus philosophi numerus, e quibus accurate intelligi pos-

gius, hoc Hegelius dixerunt; tu quid? et cum Seneca: quousque sub alio moveris? Aliquid et de tuo profer.

sunt placita ipsius. Neminem vero fugit difficillimum esse elicere quodammodo nexum, quo quaeque dicta sint, in scribendi genere, quod non forma logica, sed potius sermonis familiaris levitate profluat, saepius quid placeat, quam cur, exponat, et omnino non semper philosophum sed etiam hominem Senecam loquentem inducat. Cum vero tantum de priori hic instituendus esset sermo, diligenter erat videndum, ne aliena reciperentur, quamvis ex altera parte non plane negligi poterant ea, quae non veluti praecepta philosophica sed veluti mere humana proposuit Seneca [15]), quippe qui ad quod eniti debeat quisque summum putavit semper et ubique philosophum esse. Igitur minus id mihi proposui, ut perfectum Senecae systema enarrarem, quam ut indigestam placitorum molem pro viribus in ordinem redigerem, atque illa sibi non repugnare demonstrarem, etiamsi in universum fortasse firmiori egeant fundamento.

15) Leguntur talia praecipue in consolationibus ad Helv., Polyb. et Marc, quibus saepe consolandi modum iniit auctor, magis naturae humanae imbecillitati, qua bona externa tamen bona esse sentimus, convenientem, quam profectum e rigorosis philosophiae Stoicae praeceptis. Similiter in libris de ira et ubicunque agitur de frangenda immoderata affectuum vi.

Superest ut de auxiliis dicam, quibus usus sim in hac scriptione componenda. Lecturis facile adparebunt. Quidquid a me citatur ad manus fuit, cum ab initio id mihi proposuissem, ut quadam macie atque exilitate locorum laudatorum laborare potius paterer opusculum, quam adferrem locos, quos evolvere et ipsis oculis inspicere mihi non licuerit, cum jam saepius expertus sim fallacissimam esse fidem eorum, quae tali modo in auxilium vocentur. Neque dubitavi vel in iis, quae hic illic aliena fortassis auctoritate a me dicta sunt, ad auctores veros delegare lectorem, quamvis totam hanc commentationem, quam eorum qui lecturi sunt indulgentiae atque benevolentiae commendo, talem esse jure recteque dicere possum, quae materiam atque formam diligentiori fontium studio debeat, neque profecta sit a compilatione aliqua eorum, quae viri docti jam olim conscripserant. Nam etiam in iis, quae exponuntur de philosophia Stoica, me non caeco impetu secutum esse historiae philosophicae scriptores, sed potius locos, a quibus judicium inconcussum pendeat, facile intelliget, qui accuratius cognoscere voluerit. Id vero est quod moneam, me multa, quae ad hanc disputationis partem pertineant, de quibus fusius libenter dixissem, propter

angustias finium, quos jam nunc fortassis excessi, non attingere potuisse nisi laevo brachio, quod ab initio fateri quam in levitatis crimen incidere malui.

De fontibus vero ipsis philosophiae Stoicae aliquid videtur dicendum, et de ratione qua iis utendum esse putavi, praesertim cum haec res nondum ita sit exposita et explanata, quam fortassis opus esset ad bene conscribendam omnino philosophiae antiquae historiam. Mihi quidem, cum primum animum adpellerem ad hoc studium gravissimum, in tractandis eorum philosophorum, quorum opera non integra ad nos pervenerunt, placitis, omnes scriptores historiae philosophicae omisisse et plane neglexisse visi sunt id, quod minime negligi debebat, cum gravissimi sit momenti. Longe enim plurimi, qui cum diligentia etiam ipsos illos fontes perscrutati sunt, criticam operam, cujus in nulla litterarum parte studiosior et accuratior esse debet usus, non cum tanta alacritate adhibuerunt, quanta opus erat, sed omnino satis habuerunt sententiam suam locis allatis suffulcire et munire, parum hoc respicientes, quod ii ipsi, qui nobis tradiderint placita veterum, tum propter imbecillitatem animi, tum ob temporis longum spatium, quo disjuncti te-

nerentur a primis auctoribus, in multis iisque gravissimis errare potuerint, quod ipsum in tradendis placitis philosophicis multo facilius accidere poterat, quam in omnibus reliquis quae ad historiam pertinent, cum vel nostris temporibus saepissime accidere videamus, ut, qui summi alicujus philosophi systema, quod quidem descriptum accuratissime ante oculos iis positum est, exponere velint, non solum gravissimis erroribus implicentur, sed ita mutilent atque debilitent veram indolem, ut prorsus alia eaque multo deterior videatur. Cujus rei pondus summum esse cum haud quemquam fugere possit, summa cura mihi examinandum esse duxi ingenium atque disputandi genus eorum qui nobis Stoicorum placita tradiderunt, nec non populi atque temporum rationem. Quod cum ubique fecerim, tamen non quovis loco de hac re dicendum sed potius ab initio lectorem praemonendum existimavi, qualesque criticas regulas mihi in singulis, qui graviores sunt auctoribus praeposuerim, breviter adjiciam.

Atque ut a Cicerone ipso initium sumam, cujus auctoritatem multi facile principem habebunt: in hoc, si in quo reliquorum, summa opus est cura, ne in errores indicamus. Jam ea ipsa ratio, qua philosophiam Graecam

se tradidisse, ipse professus est, hanc satis suadet sollertiam, cum non semper accurate exprimendas Graecorum sententias, sed etiam de suo aliquid admiscendum sibi proposuerit [16]). Ipse enim judicabat [17]), omnia Romanos aut invenisse per se sapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent, quod mihi magis confidentia quadam Romana, quam ut populum suum ad alacritatem in philosophiae Graecae studio excitaret, jactasse videtur. Deinde genus ipsum disputandi quod in dialogis sibi elegit Cicero, in quo toties ei oblata est occasio elegantiae oratoriae exercendae, cui saepius quam rerum gravitati et subtilitati conveniebat, indulsit, ad eruenda veterum philosophorum placita minus aptum est, cum saepissime non quid auctoribus primis sed quid ipsi Romano placuerit exponatur. Quod cum in universum

16) Cf. de ratione qua usus est Cicero in his rebus, qui novissime de ea scripsit Kuehnerum: M. Tullii Ciceronis in philos. ejusque partes merita p. 89. ss., qui omnino de Ciceronis ingenio philosophico, de fontibus ejusdem et de reliquis, quae his cognata sunt, attulit non negligenda, quamvis nonnulla capita adhuc accuratiorem flagitent disquisitionem.

17) Tusc. Quaest. I, 1.

de omnibus placitis, quae tradidit Cicero, valeat, maxime locum habet in eo modo, quo illa deducuntur et probantur, quippe in parte difficillima, in qua tamen singularis cujusque systematis proprietas atque indoles conspicitur. His omnibus accedit ingenium Ciceronis, qui quidem pro homine Romano in philosophicis quaestionibus satis erat exercitatus, non tamen ita ad contemplativa philosophiae studia efformatus, ut in omnibus verum invenisse judicandus sit.

Alter est auctor Diogenes Laërtius, qui ex plurimis philosophorum systematis placita collegit, sed tali modo ut nescias, utrum insulsitas an negligentia in compilando magis sit vituperanda. Itaque hujus auctoritas, nisi res quas tradit aut aliorum quoque scriptorum testimonio aut reliquorum placitorum, quae pro certis haberi possunt, nexu defendantur, fere nulla sit, nisi disertis verbis affert scripta genuina primorum auctorum, quorum ille sine dubio numerum satis magnum ad manus habuit. Sed vel in his diligentissime videndum est quid ex fontibus integris hauserit quidve corrumpens hos ipsos ex propria cogitatione addiderit. Ad hoc accedit, quod etiam textus hujus scriptoris virorum doctorum curis nondum ita expeditus est, ut de vera

in omnibus locis lectione jam non dubitari possit. — Majorem omnino fidem habet Stobaeus, praesertim in iis operis sui partibus, quibus non, veluti in exponendis ethicis, continuo sermone usus, sua admiscuit, sed mere tradidit ea, quae ex fontibus, qui ipsi adessent, hausisset [18]). Igitur in tradendis placitis ipsis in primis est habendus, quamvis simili cura videndum sit, qua in Cicerone, ne aliena recipiantur, quae ipsius debeantur ingenio. Summa vero cura mihi inspicienda, dignanda et premenda videbantur ea, quae apud Sextum Empiricum leguntur, cujus mira quaedam est in tradendo sollertia atque in judicando acumen, quod eo magis conspicitur, cum adsint philosophorum, veluti Aristotelis atque Platonis opera integra, quae probant, quam bene exceperit summa omnium ingenia, et quanta temperantia et veritate usus sit in iisdem refellendis. Quod denique ad ipsum Plutarchum adtinet, de hujus auctoritate et gravitate inter omnes constat, et id tantum est, quod moneamus, majorem ipsius quoque esse fidem in iis, quae referens tantum atque tradens placita nobis dedit, quam in iis

18) De fontibus hujus auctoris cf. dissertationem praestantissimam quam vir Cl. Heeren suae adnexuit editioni.

quae ipse contra Stoicos disputat, cum in rebus philosophicis plurimum intersit, num defensuri an impugnaturi placitum aliquod nobis proponamus, in quo summa animi integritas non satis arcet ab omni partium studio, in quod nolentes etiam atque inopinati plerumque incidimus, cum in his rebus saepissime caput sit non quid sed quomodo dicatur.

Scriptum est de his omnibus non luculenter, ut rei gravitas desiderabat, sed breviter, ut propositi fines arcti sinebant, cum primae tantum lineae designandae mihi viderentur, quibus fortassis aliquando usus fontium, quorum aditus non tantum in tractanda philosophia Stoica, sed etiam in multis aliis systematis illustrandis nobis patet, circumscribendus erit. Ea quae attulimus e diligente scriptorum ipsorum lectione et e rei natura petita sunt, neque omnino difficile fuisset singula illustrare et probare locis ex scriptoribus ipsis, quorum hic ratio habenda est, allatis, si haec res non esset ejusmodi quae potius plurium earumque peculiarium dissertationum suppeditare integrum argumentum, quam in praefatione hujus scriptionis accurate illustrari debeat.

Haec cum exposita sint et praefationis et introductionis loco, ad ipsam quaestionem statim adgredi licet, et ita quidem, ut primo exploremus, quid Senecae fuerit philosophia, quid sapientia, atque videamus, num discrimen inter utramque esse statuerit. Agit vero ipse de hac quaestione [1]), et priorem dicit amorem atque adfectationem alterius, contenditque aliquid interesse inter utramque, cum fieri non possit, ut idem sit, quod adfectetur et quod adfectet. Mox vero [2]) sapientiam dicit philosophiae effectum et praemium. Jam duae hae explicationes illius discriminis inter se distant. Non tamen ita diversae sunt, quin possint conciliari. In priori enim philosophia describitur veluti id, per quod ad sapientiam perveniamus. Est igitur philosophia via ad sapientiam [3]), sapientia finis philosophiae. Nisi

1) Ep. 89. p. 365.
2) L. l. p. 366.
3) Ep. 37. p. 114. Effugere non potes necessitates; potes vincere. Fiat via, et hanc tibi viam dabit philosophia.

enim amamus et adfectamus sapientiam, hanc adsequi non possumus. In altera vero dicitur sapientia effectus et praemium philosophiae. Vide quid intersit inter effectum et finem. Si sapientiam philosophiae finem dicimus, sapientia ponitur esse externum aliquid, quod jam adest et proponitur, quod itaque adpeti quidem potest, non tamen effici. Sin vero sapientiam dicimus effectum philosophiae, longe alia haec ratio est, cum hoc modo sapientia per nos ipsos quodammndo condi et effici videatur. Quid vero? Facile est tollere ea, quae in his repugnare sibi videntur. Si enim de sapientia in universum sermo est, haec, quia omnibus hominibus contingere potest, omnibus quoque proposita esse debet. Et est profecto aliquid, quod non inventum est aut perfectum ab hominibus, sed profectum ab ipso numine. Si autem sapientiam spectamus ex altera parte, qua non est idea, ad quam omnia quae agimus revocare debemus, sed potius ipsum animi nostri proprium, quod studio nostro jam adsecuti sumus, recte dici potest effectus philosophiae, hujusque fructus atque praemium. Tenendum igitur hoc est, quod in altera illarum distinctionum Seneca loquitur de sapientia, quae tantum idea sit, in altera de sapientia, quae jam in ani-

mum nostrum intraverit. Utramque jure sapientiam dici, facile liquet, neque hoc obscurum est, adpeti alteram, alteram effici per philosophiam. Senecam autem re vera hic usum esse voce sapientia significationibus a nobis propositis, hoc tum intelligetur ex iis, quae postea de summi boni et virtutis notionibus exponenda erunt, tum e verbis patet statim sequentibus [4]), quibus philosophiam, quam Seneca dixerat adfectationem sapientiae, dicit studium virtutis, et quidem per ipsam virtutem, aut, si negari non potest, sapientiam et virtutem hic paribus sumi significationibus, studium sapientiae per ipsam sapientiam, cum ea, quae efficiatur sapientia nihil aliud sit, nisi id ipsum, quod sapiamus. Sapere enim [5]) sapientiae est usus, quomodo eloquentiae eloqui, quomodo oculorum videre. Id vero quod Seneca vocabulo sapientia pro sapere utitur, hic praemonere non leve est, tum, quia hoc saepius fit [6]), tum, quia hac ipsa re illud de quo diximus discrimen e Senecae mente esse, magis probatur, tum denique, quia perdiffici-

4) Ep. 89. p. 366.
5) Ep. 117. p. 184.
6) Ep. 20. p. 62., quo loco quaerit, quid sit sapientia, et respondet: Semper idem velle atque idem nolle, quod profecto est sapere.

lis, ne dicam omnino vana et inutilis foret quaestio de notione sapientiae, quam Seneca expetendam sapienti proponit, si in locis, e quibus illa notio erui debet, vocabulum sapientia semper idem significare ponimus [7]).

His de discrimine notionis, quae vocabulo sapientia inest, expositis, sub examen simile vocanda est vox philosophia, in quo ab iisdem locis proficiscendum nobis erit. E superioribus vero sponte efficitur, si ex altera parte sapientia sit finis, ex altera vero effectus philosophiae, philosophiam esse tum viam ad sapientiam, tum id, per quod sapientia efficiatur, id est, causam efficientem sapientiam.

7) Caeterum conferenda sunt ea, quae Seneca ipse ep. 117. p. 182 — 185. contra Stoicos de eo disputat, num sapere sit bonum, cum sapientia bonum sit. Modus vero, quo de hac re quaerit, satis demonstrat, sensisse eum quidem, interesse aliquid inter utrumque, quid vero intersit non bene intellexisse. Facillime enim adsequi poterat, quod voluit, scilicet id, quod sapere sit bonum, si paullo aliter rem adgressus fuisset. Dicit enim: Habetur sapientia, habet, qui sapit; et deinde: Sapientia est mens perfecta et vitae dux, sapere id, quod contingit perfectam mentem habenti. Dicendum erat: Habetur sapientia Sapere est sapientia in vita se exhibens, ergo et hoc habetur. Porro: Sapientia est mens perfecta; sapere est mens perfecta in vivendo se prodens, igitur idem est sapientia, quod sapere, nec quidquam interest, nisi id, quod sapientia cogitatur per se, sapere cum substrato aliquo, in quo eadem sapientia conspicua fiat.

Videamus quomodo inter se distent via, qua ad aliquid perveniamus, et causa per quam aliquid effiiciatur. Facillime vero haec consociantur. Si enim aliquid propositum est, cui adsequendo operam damus, viam, quae ad illud ducat, simulatque illa ineatur atque carpatur, fieri id, per quod ea res quae proposita sit, nostra fiat, non difficile est intelligere. Inde vero liquet, philosophiam ex altera parte esse viam, ex altera vero perfectionem quasi et percursationem ejusdem viae (ire viam), qua ad sapientiam perveniatur. Igitur eandem rationem intercedere videmus inter hos duos modos, quam inter illas sapientiae definitiones obtinere docuimus. Ei enim, cui sapientia esse videtur bonum externum aliquod, philosophia est via ad eandem. Qui vero simul illi bono adsequendo operam impendit, per hoc ipsum illam viam init, et huic ea ratione philosophia facta est id, per quod sapientiam sibi vindicat, atque proprium sui ipsius animi facit. Hoc vero discrimen ex varia philosophiae et sapientiae contemplatione ortum, cum nihil in se habeat, quod obscurum videatur, tamen magis intelligitur e Seneca ipsius verbis: Philosophia sapientiae amor est [8]). Quomodo enim

8) Ep. 89. p. 366.

in amore, quem erga aliquam rem percepimus, simul insit via et ipsius viae perfectio, sponte liquet. Sine amore enim nullum est studium et nulla adfectatio, idque, quod illum extemplo sequitur, nil esse potest, nisi quod sapientiam in nos recipiamus.

In his tamen quaeri potest, quomodo hac ratione inter se differant philosophia, quam eam diximus per quam ad sapientiam perveniamus, et sapientia, quae jam intraverit in animum nostrum. Utramque eandem esse facile perspicitur, si ea, quae supra de utraque exposita sunt, spectamus. At dicat aliquis: Tum illud a te laudatum Senecae: Sapientia philosophiae est praemium et effectus, nihil aliud esset, quam quod sapientia efficiatur per sapientiam. Hoc vero non negamus, immo adfirmamus potius, et disertis Senecae verbis nostram de hac re sententiam probari quis non videt? Dicit enim, philosophiam esse studium virtutis per virtutem ipsam [9]). Inde vero liquet, Senecam optime perspexisse, viam quae perficiatur, et id, quod illa via perfecta nostrum fiat, in his rebus idem esse [10]),

9) Sen. l. l.

10) Similiter ep. 94. p. 50.: Optimus animi habitus et facit illa, et ex illis ipse fit.

scilicet id, quod sapiamus. Quid vero quod Seneca ipse vocabulo philosophia haec duo inesse dicit. Philosophia, inquit [11]), dividitur in haec, scientiam et habitum animi, et mox [12]): philosophia et contemplativa est et activa. Scientiam enim, vel philosophiam contemplativam eam esse, qua duce ad habitum animi, sive ad activam philosophiam, i. e. ad sapientiam (ad sapiendum) perveniamus, non est quod pluribus demonstremus. Utramque vero ex Senecae sententia in vita semper conjunctam esse, tum eo perspicitur, quod ad utrumque, et ad contemplationem et ad actionem a natura nos genitos esse probat [13]), tum ex his verbis, quae ejusdem sunt [14]): Plurimum discriminis est, utrum aliqua res propositum, an propositi alterius accessio sit. Tamen alterum sine altero non est; nec ille sine actione contemplatur, nec hic sine contemplatione agit. Illam vero, quam statuimus descriptionem philosophiae in contemplativam et activam non tantum ex Senecae mente admittendam esse, sed etiam e reliquorum Stoicorum judicio, hoc probe testatur Diog.

11) Ep. 94. p. 49.
12) Ep. 95. p. 59.
13) Sen. de vita beata cap. 31 et 32.
14) Sen. l. l. cap. ult.

Laërt.[15]), qui hanc Panaetii (non, quod Lipsius[16]) adfert, Posidonii) divisionem esse dicit.

Ne vero sterilis et supervacua videatur tota haec quaestio, statim fructum ejus ante oculos ponamus. Primum enim inde adparet, Senecam accuratius quidem quam Stoicos distinxisse, attamen conspirasse cum iisdem, quippe qui aliorum philosophorum definitiones adferens, eam probat, qua sapientia dicitur divinorum et humanorum scientia, quae Stoicorum est, quod Plutarchus[17]) aperte testatur, eadem quoque adferens verba. Ex eodem vero loco Plutarchi perspicitur, Stoicorum philosophiae circumscriptionem eam fuisse, quam comprehensam nos esse diximus in notione quam Seneca sapientiae et philosophiae simul esse voluit. Nam *ἄσκησις τέχνης ἐπιτηδείου* nihil aliud est, nisi sapientia activa, quae jam intravit in animum nostrum, aut

15) Diog. Laërt. VII, 92. *Παναίτιος μὲν οὖν δύο φησὶν ἀρετὰς, θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν· ἄλλοι δὲ τρεῖς, λογικὴν, καὶ φυσικὴν, καὶ ἠθικήν.* Vocem *ἀρετὴ* enim hic nihil esse, nisi philosophiam, altera, quam attulimus, descriptio docet. Lectio *θεωρητικὴν καὶ φυσικὴν*, quam in codd. nonnullis esse testatur H. Stephanus, sensu caret.

16) Lipsius: Manuductio ad Stoic. philos. lib. II. dissert. 2.

17) Plut. de phys. phil. decr. prooem. *Οἱ μὲν Στωϊκοὶ ἔφασαν τὴν μὲν σοφίαν εἶναι θείων καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην, τὴν δὲ φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου.*

id ipsum, quod sapiamus. Deinde vero ex iis, quae supra exposuimus, etiam hoc explicatur, quomodo factum sit, ut Seneca, quamvis distare dicat sapientiam a philosophia, tamen toties permutet duas illas voces, cum ex altera parte secundum eum vere paria significent, quia hoc solum interest, num scientiam divinorum et humanorum et vitam huic scientiae consentaneam veluti bonum expetendum, an veluti bonum jam adquisitum consideremus [18]).

---

18) Ut accuratius intelligatur totius hujus disputationis finis, breviter summa ejus capita repetere mihi liceat, cum, ne obscuri aliquid remaneat, verear, in hac quaestione profecto haud levi simulque impedita atque difficili linguae Latinae paupertate. Sapientiae scilicet et philosophiae duplex est ratio. Sapientia enim est scientia passiva, deinde vero etiam scientia activa. Similiter philosophia primum est via ad scientiam passivam, tum etiam ad activam. Tum vero rursus illa duo sapientiae genera duplicem admittunt contemplandi modum. Utrumque enim aut est bonum, quod supra diximus expetendum, aut adquisitum. Id vero, per quod id, quod fuerat bonum expetitum, fit bonum adquisitum, est philosophia, quae rursus ex altera parte est via, ex altera perfectio viae ad sapientiam ducentis. Sapientia adquisita ex altera parte est cognoscere, ex altera agere, quomodo agendum esse cognoveris. At philosophia, si perfectio viae esse ponitur, est perficere viam ad cognitionem ducentem, id est, ipsum cognoscere; deinde vero etiam perficere viam, ad scientiam activam, i. e. agere quomodo agendum esse cognoveris. Igitur philosophia quae est perfectio viae, et sapientia quae veluti bonum adquisitum ponitur, idem sunt,

Neque minus lucis inde adfertur circumscriptionibus variis et saepe primo adspectu diversis atque repugnantibus, quibus Seneca tum sapientiam modo esse dicit scientiam [19]),

quod, ut supra monuimus, plane e Stoicorum sententia est. Conspectus qui sequitur doceat quo tendam.

Sapientia, bonum expetendum.	Philos., via simulque viae perfectio, i. e. id per quod bonum expetendum fit bonum adqnisitum.	Sapientia, bonum adquisitum, i.e. habitus animi.
Sapientia = scientia passiva.	Phil. = studium cognitionis passivae = cognoscere.	Sapientia = scientia passiva = cognoscere.
Sapientia = scientia activa.	Phil. = studium cognitionis activae = agere quomodo cognoveris.	Sapientia = scientia activa = agere quomodo cognoveris.
Sapientia = scientia passiva simulque activa.	Phil. = studium utriusque = sapere.	Sapientia = scientia passiva et activa = cognoscere bona et bene agere = sapere.

Caeterum veniam mihi non negatum iri spero vocabulorum, quibus in hac disputatione saepius usus sum talibus, quae respuat fortasse sermonis Latini elegantia. At patronus mihi adsit Seneca ipse (ep. 58 p. 172. s.): Propitiis illa lectorum auribus dicta sint, sin minus et iratis, nam et Ciceronem, cum urgeret necessitas, et elegantem Fabianum non puduit uti vocabulo essentia, quod certe non magis Latinum videtur.

19) Ep. 89. p. 365. Sapientia divinorum et humanorum est scientia. — Ep. 88. p. 361. Magna et spatiosa res est

modo perfectum bonum atque habitum mentis humanae [20]), modo externum aliquid, atque legem actionibus nostris praescriptam [21]), modo internum [22]), atque externum simul [23]), tum philosophiam modo sapientiae amorem et studium [24]), modo vitae rectricem [25]), modo cognitionem jam habitantem in homine [26]),

---

sapientia — de divinis humanisque dicendum est, etc. — Ep. 94. p. 40. Sapientia rerum terminos novit.

20) Ep. 89. p. 365. Sapientia perfectum bonum est mentis humanae. — Sapientia est nosse divina et humana. — Ep. 20 p. 62. Sapientia est semper idem velle atque idem nolle. Ep. 76. p. 270. Sapientia in stultitiam non revolvitur. — Ep. 71. p. 235. Sapientia est bona malaque distinguere.

21) De tranq. an. cap. I. p. 251. Puto multos ad sapientiam pervenire potuisse, nisi putassent se pervenisse. — Ep. 85. p. 333. Sapientia domina rectrixque est, — artes serviunt vitae, sapientia imperat. — Ep. 89. p. 366. Hospes resiste, et sophiam Dossenni lege.

22) Locis laud. ad 20.

23) Cf. ll. ll. ad 21. et ep. 104. p. 118. Quid ergo? Sapientia, omnium rerum maxima, in itinere colligitur.

24) Ep. 89. p. 365. Philosophia sapientiae amor est et adfectatio. — p. 366. philosophia virtutis studium est per ipsam virtutem.

25) Ep. 90. init. Philosophiae, quod bene vivimus, debemus. — Ep. 16. p. 50. Haec (philos.) adhortabitur, ut deo libenter pareamus, ut fortunae contumaciter resistamus. — Ep. 53. p. 159. Exercet philosophia regnum suum; domina est; adest et jubet.

26) Ep. 90. p. 2. Philosophiae opus unum est de divinis humanisque verum invenire. — Ep. 94. p. 49. Philosophia dividitur in haec; scientiam et habitum animi.

et ad virtutem nos ducentem[27]), modo habitum animi in actionibus conspicuum[28]), et quae reliqua sunt, e quibus, si inter se conferantur, mox adparebit, Senecam re vera illas varias, de quibus egimus, significationes omnes tribuisse vocabulis sapientia et philosophia, nec ullum inveniri locum, quo non insit utrique voci una aut altera, aut plures quoque ex iis significationibus, quas supra iisdem tribuimus. Unum est quod adjiciam hoc, quod Seneca accuratius perspexisse videtur actionum intimam indolem, quippe qui non raro sapientiam vocet artem[29]). Hanc vero vocem semper spectare ad eam sapientiae partem, qua activa sit, cum ad contemplativam magis spectet vocabulum scientia, facile adparet, unde simul liquet, agnovisse nostrum quandam in vivendo artem, atque sensisse, in qualibet actione scientiam et artem inter se conjunctas esse, quod quidem ipsum magis ab Aristotele, quam a Stoicis reliquis notatum esse

27) Ep. 90. p. 2. Ab hac (philos.) nunquam recedit justitia, pietas, religio etc.

28) Ep. 14. p. 49. Philosophia non in verbis sed in rebus est. — Ep. 94 p. 49. cf. supra.

29) Cf. exempl. c. ep. 29. p. 93. Sapientia ars est; certum petat; eligat profecturos etc.; et multos alios locos, quibus idem occurrit.

constat. Ille enim sapientiam esse dixit τέχνην τεχνῶν καὶ ἐπιστήμην ἐπιστημῶν [30]).

Longius fere ac decebat processit haec quaestio. Non tamen ea supersedendum erat, quia vel recentiores auctores, constituturi philosophiae apud Stoicos notionem, locis supra allatis usi sunt ratione parum idonea, qua res minime explicatur neque tolluntur repugnantia in singulis philosophiae et sapientiae circumscriptionibus occurrentia [31]). His accedit, quod ratio, quam in usu vocabulorum sapientia et philosophia apud Senecam intercedere vidimus, eadem est in vocibus sapiens et philosophus, quod itaque sapiens modo significat ideam sapientis, modo tantum philosophum, qui sapientiam adfectat. Hoc vero inde liquet, quod sapienti nunc tribuitur ab-

---

30) Cf. Lipsius: Manuductio II. diss. 7.

31) Cf. Tiedemann: Syst. d. Stoisch. Phil. P. I. p. 2. — Tennemann: Gesch. d. Phil Tom. IV. p. 17., qui philosophiam e Stoicis rationibus nil esse dicit nisi sapientiam, quamvis in loco Plutarchi supra laudato, quem ipse adfert σοφία sejungitur a φιλοσοφίᾳ, et aliter definitur. Rixnerus (Handb. d. Gesch. d. Phil. Tom. I. p. 242.) totam rem silentio praetermittit At Lipsius, qui profecto omnium doctissimus de Stoica philosophia diligenter disseruit; peculiari quidem cura atque tractatione dignum putavit hoc caput (Manud. II. dissert. 7.), sed rem ita conficit, ut plane promiscue Stoicos usos esse censeat vocabulis philosophia et sapientia, causas hujus rei non exponens.

soluta perfectio [32]), nunc vero ita describitur ut Seneca ipse fateatur, etiam sapientem tangi nonnullis mortalitatis erroribus atque maculis [33]). Ex his vero cum luculentissime adpareat, illud discrimen notionis, quae insit voci sapiens, obtinere apud Senecam, fortassis idem locum habet apud Stoicos priores. Quamvis enim hi ipsi sapientem omnia bene agere [34]), ab omnibus animi perturbationibus liberum esse, et, a superbia vacuum, gloriam contemnere, contendant [35]), et quae sunt reliqua, quae ambitiose jactant: tamen definitio sapientiae et philosophiae, quam supra attulimus,

32) Ep. 85. p. 325. Non diminutionem malorum in viro bono intelligo, sed vacationem. Nulla esse debent, non parva. Cf. et p. 326.

33) Sen. de benef. II. 1. p. 137. — Ep. 72. p. 245. — Ep. 71. p. 241. cf. et infra.

34) Stob. ecl. ed. Heeren P. I. p. 198. *Ἀρέσκει γὰρ τῷ Ζήνωνι — δύο γένη ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν τῶν σπουδαίων* etc. — *καὶ τὸ μὲν τῶν σπουδαίων διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς — ὅθεν τὸ μὲν ἀεὶ κατορθοῦν ἐν ἅπασιν οἷς προστίθεται* etc. — Videnda sunt ea, quae in prolegomenis de Stobaei auctoritate diximus. Placitum Stoicorum incorruptum videtur esse servatum usque ad vocem *ἀρεταῖς*. Sequentia, quae non necessario consequuntur, deberi videntur Stobaei explicantis ingenio.

35) Diog. Laërt. VII. §. 117. Conferenda sunt ea quae §. 118. de sinceritate sapientis dicuntur, quibus demonstratur, aut ex Stoicorum sententia sapientem in errorem incidere posse, aut non maximam esse auctoritatem Diogenis.

docere videtur, eos voce *σοφὸς* semper significasse ideam sapientis, cum vir bonus, sicuti vivus in terra versetur, iis esset philosophus [36]).

Si vero via, qua incessimus, ut discrimen, quod e Senecae nec non reliquorum Stoicorum sententia inter philosophiam et sapientiam intercedat, accuratius perspiceretur, jam ob hanc ipsam causam, non frustra nec sine fructu inita videtur: majora illius quaestionis commoda mox in oculos incurrent, cum agendum nobis erit de intima philosophiae Stoicae natura atque indole, nisi fortassis et ea, de quibus jam diximus, ad eandem melius, quam fieri solet, depingendam, aliquid valere, recte judicaverim. Ex nulla enim re melius perspici poterit ratio etiam inter summum bonum et virtutem obtinens, quae sunt

---

36) Cf. de his Henr. Stephanum ad Sext. Emp lib. VII. 432. ed. Meibom., qui rem conficere sibi videtur, et Stoicos ipsos fassos esse dicit, sapientiam nullum mortalium adsecutum esse. Quae quidem Stephani sententia cum et mihi probabilis videatur, tamen illi quos adfert loci non tam aperte illud Stoicorum effatum continent, quam ad judicium inconcussum ferendum necessarium est. Nam et ille Sexti Empirici (adv. Math. IX. 133.) locus: *εἰσὶν ἄρα σοφοί· ὅπερ οὐκ ἤρεσκε τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς, μέχρι τοῦ νῦν ἀνευρέτου ὄντος κατ᾽ αὐτοὺς τοῦ σοφοῦ*, cum maxime istam sententiam confirmare videatur, tamen dubitari poterit, utrum *κατ᾽ αὐτοὺς* ad priora an ad sequentia referendum sit.

summa capita in ethica Stoicorum occurrentia. Itaque superioribus utentes fundamentis ad propositum ipsum accedere, et intimam philosophiae, quam proposuit noster, naturam investigare liceat.

Ac primo quidem vix est quod moneamus, ex qua parte ineunda sit haec quaestio. Sponte enim liquet significationem, quam hic tribui oporteat vocabulis philosophia et sapientia, non aliam esse nisi eam, qua philosophia sit via ad sapientiam, sapientia finis philosophiae, sed ita tamen, ut utraque ponatur esse externum aliquid, cum philosophia Senecae et sapientia diligenter depicta, siquidem his vocibus significetur habitus animi humani aliquis internus, non forent nisi ideae, quam ipse sibi animo efformaverat, imago deformior sane et impedita actionum terrena admixtione, quibus quodammodo nobis utendum est coloribus minus idoneis, atque nitorem splendoremque animi depellentibus atque obscurantibus. Id igitur, quod solum nobis erit proponendum, est sapientiae idea, cum in hac ipsa cujuslibet philosophia sponte et ultro adpareat, ideam simul gignens simulque secuta. In his vero etiam hoc inest, quod, cum sapientia sit finis philosophiae, sapientia simul sit summum bonum, quod homini, rationali ani-

manti, adpetendum sit. Sapientia enim [37]) perfectum bonum est mentis humanae. Id vero, quod sit perfectum bonum, idem esse summum bonum, pluribus demonstrari non necesse est, et Seneca ipse testatur, sapientiam et summum bonum pariter similiterque describens [38]). De hoc igitur nobis erit videndum, quid sit summum bonum. En Senecae ipsius verba [39]). Quaeris, quid sit (proprium hominis)? animus et ratio in animo perfecta. Consummatur igitur ejus bonum, si id adimplevit, cui nascitur. Quid est igitur quod ab illo ratio haec exigit? Rem facillimam; secundum naturam vivere; et [40]): Quemadmodum omnis natura bonum suum nisi consummata non profert, ita hominis bonum non est in homine, nisi cum in illo ratio perfecta est [41]). Sapere igitur est secundum naturam vivere, sapientia aut summum bonum est perfecta ratio, i. e. non tantum perfecta cognitio eorum, quae vera sint aut

---

37) Ep. 89. p. 365.

38) Ep. 92. Haec est sapientia in naturam converti et eo restitui, unde publicus error nos expulerit, coll. c. ep. 41. p. 124.; ep. 124. p. 225.; ep. 45. p. 132.

39) Ep. 41. p. 124.

40) Ep. 124. p. 225.

41) Cf. et ep. 45. p. 132. s.

falsa — sapientiam (i. e. cognitionem) si sine usu daretur accipiendam negarunt Stoici [42]), — sed etiam pro cognitione illa agens et ad ipsam sapientiam in vita conspicuam nos ducens [43]). Nam rationi haec duo inesse, perfectam scilicet cognitionem simulque voluntatem, postea docebimus. In his omnibus autem Senecam egregie conspirasse cum reliquis Stoicis vix est quod moneam, cum fere iisdem verbis haec pronuncient [44]).

Sed hoc loco iterum quaeritur, quid sit secundum naturam vivere, quae convenientia expetenda, quae perfecta ratio, qua regi in vita philosophum jubet Seneca. De his vero non verbo uno ratio reddi potest, sed multis opus erit. Ad liquidum enim haec perduci

---

42) Ep. 117. p. 184.

43) Ep. 37. p. 115.

44) Stob. ecl. P. II. p. 138. *Τέλος δέ φασιν εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν· — τοῦτο δὲ ὑπάρχειν ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν ζῆν, ἐν τῷ ὁμολογουμένως ζῆν, ἔτι, ταὐτοῦ ὄντος, ἐν τῷ κατὰ φύσιν ζῆν.* — Diog. Laërt. VII. §. 88. *Διόπερ τέλος γίνεται τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν*, etc. — Cicero: de fin. III. 6.: Ita ratione et cogitatione collegit (Zeno), ut statueret in eo positum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, quod positum sit in eo, quod *ὁμολογίαν* Stoici, nos adpellemus convenientiam. — Stob. ecl. P. II. p. 190. *Τόν τε νόμον σπουδαῖον εἶναί φασι λόγον ὀρθὸν, ὄντα προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων* etc.

nequeunt, nisi compositis atque diligenter collatis omnibus, quae de deo, de natura, de fato et de homine disputat noster, ita ut his demum expositis prima de sapientia quaestio illustretur, et quae illa sit sponte liqueat. Praemonenda vero haec mihi videbantur, ut inde eluceat tum finis eorum, quae exposituri sumus, tum quoque ut statim ab initio intelligatur nexus, qui est arctissimus inter ethicam Senecae et inter ea, quae de reliqua philosophia disputavit, cum ea fere vulgata sit sententia, hunc philosophum, neglectis caeteris philosophiae partibus, ad solam activam excolendam incubuisse. Veri aliquid, quod mox videbimus, inest huic judicio, siquidem philosophiam activam eam esse ponimus, cujus vis et auctoritas in agendo vivendoque conspicua fiat. Sin vero ethicam hoc nomine significare placet, hanc rem aliter esse non difficile erit demonstrare. Cohaeret enim illa tam arcte praesertim cum physiologicis, ut stare nullo modo possit, nisi ab his adjuta, cum fere omnino pendeat ex iis, quae de deo, de fato, de mundo, et de horum atque similium ratione statuit illa. Senecam vero non aliter de re proposita judicasse, facile intelligitur. Erras enim, dicit [45]), si illam (philo-

45) Ep. 95. p. 59.

sophiam) putas tantum terrestres operas promittere. Altius spirat. Totum, inquit, mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis et dissuadere contenta; magna me vocant supraque vos posita [46]). Deinde vero disserens [47]) de philosophiae divisionibus, recensitis reliquorum philosophorum, quibus aut addere aut omittere aliquam partem placuerit, rationibus, eam probat, qua tres partes philosophiae tribuuntur, moralis, naturalis, rationalis, quae Stoicorum est [48]). Ita vero hoc loco disputat, ut internam hujus divisionis necessitatem demonstret, cum Peripateticos quosdam, quibus civilem partem addere placuerit, in eo errare dicat, quod haec jam insit morali, Epicureos vero, qui removerint rationalem in eo, quod rei necessitate coacti eandem, alio tantum nomine, induxerint, locum de judicio et regula eum adpellantes, et hanc ad naturalem partem accedere existimantes, Cyrenaicos denique, qui moralibus contenti fuerint, in eo,

46) Cf. et ea, quae infra de aestimatione partis naturalis dicuntur.

47) Ep. 89. p. 366. s.

48) Plut. de plac. phil. I. cap. 1. — Diog. L. VII. 39. — Sext. Emp. Pyrrh. Inst. II. 13. ed. Fabr. — Sext. Emp. adv. Math. VII. 16.

quod, quae removeant, aliter ipsi quoque inducant, cum causae rerum, quas tamen ipsi investigandas censuerint, ex naturali parte sint, argumenta vero ex rationali [49]. His vero philosophiae partibus non absolutam inesse aestimationem secundum Senecae judicium, sed tantum, quousque ad emendandam vitam inserviant, hoc luculentissime intelligitur ex iis, quae in eadem epistola [50] statim subsequuntur divisionem philosophiae. Dicit enim Seneca: Si voluero facere partium partes, quaestionum liber fiet. Haec, Lucili, quo minus legas, non deterreo, dummodo quidquid legeris ad mores statim referas. Longa deinde disputatione invectus contra eos, qui bonos mores negligant, his verbis finit: Haec aliis dic, ut, dum dicis, audias ipse. Scribe, ut dum scripseris legas, omnia ad mores et ad sedandam rabiem adfectuum referens. Atque est hoc peculiare aliquid atque insigne philosophiae, quam docet noster, quo placita ejus a plurimorum reliquorum philosophorum discedunt, et a Stoicorum quoque aliena sunt, quamvis ipse Seneca nexum arctissimum omni-

49) Aliter Sext. Emp. adv. Math. VII. 15., qui Cyrenaicos et logicam admisisse testatur.

50) Ep. 89. p. 369.

um philosophiae partium sensit magis, quam perspexit, neque, quamlibet ad vitam moderandam pariter pertinere, aliam tantum alio modo, satis accurate intellexit.

Haec vero ratio, qua Seneca omnia, quae a philosopho tractanda essent, ad vitam formandam revocavit, omnibus reliquis, quae aliena essent, rejectis, quantam vim illa exhibuerit in excolendam ipsius philosophiam, et hanc ipsam fucatam inde traxisse colorem, nemine admonente liquet. Causas hujus rei si quaerimus, hae ipsae non longius repetendae videntur, si cogitamus, Senecam hominem fuisse Romanum, cujus gentis indoles a seriis iisque contemplativis philosophiae studiis aliena, semper et ubique maxime vitam spectabat, et, si quid durius pronunciare licet, magis quod usu atque utilitate, quam quod dignitate atque nobilitate se commendaret, respicere solebat. Quae ratio, qua philosophia apud Romanos nunquam quid nisi vitae administra fieri poterat, si jam a primis inde temporibus Romanis quodammodo insita atque innata erat, eo minus mirum videri potest, in Seneca nostro eandem praevaluisse, qui temporibus vixit immanibus atque dirissimis, quibus vitae adflictae atque oppressae, servitute in locum pristinae libertatis suc-

cedente, quaerenda essent solatia, quae rursus inveniri non poterant acumen exercitando, sed potius vitam rebus externis pessum datam internis roboribus confirmando. Quae omnia cum sint in causis, quibus Stoicorum omnino Romanis prae omnium reliquorum philosophorum placitis placerent, non magis mirandum est, etiam ea, quae in illa philosophia Graecae originis quodammodo crepundia continerent, translata filia Graeca in terram Italam, eamque inhospitalem, quippe quae non nisi arma bellaque resonaret, mox Catonum horumque similium manibus rigidis contacta, abolita esse; ipsa vero chlamydem Graecam permutavit cum tunica Romana. Veri igitur simile est, bonis patriis maternisque jam tum spoliatam devenisse ad Senecam, neque hunc primum eam privasse dote, quam ab auctore primo acceptam, insequente tempore magis magisque auxerat.

Hunc vero philosophiae tractandae modum, qui apud Romanos invaluit, si ad singulas partes referimus, facile explicatur aestimatio impar, quae iisdem tributa est a Seneca, qui non veluti Stoici [51]) omnes pari modo colendas, sed moralem et physicam ma-

51) Diog. Laërt. VII, 40.

gis tractandam, minoris vero faciendam rationalem putavit. Ab hac vero procedentes ad reliquas transeamus, et ita quidem ut moralis, veluti caput extremum, sit ultima de qua dicatur. Ad id vero, quod a rationali parte ordiamur, non eo quidem impellimur, quia ipsum Senecam ab hac ad reliquas transiisse putemus — hoc enim minime factum est, — sed Zenonis exemplo, qui teste Diogene [52]) initium faciendum esse existimavit a logicis, et deinceps ad reliqua pergendum, quod praeterea etiam rei natura et tota logicae illorum temporum ratio suadet. Hanc vero si accuratius spectaveris, facile intelliges, apud Stoicos quoque, quamvis his ipsis excolenda visa fuerit, non singularem tamen locum occupasse. A philosophis enim, a quibus illis temporibus logica exculta et ad Stoicos arcessita est, haec disciplina ita tractabatur, ut illa non esset nisi organum scientiae, quod in constituendis notionibus versaretur. Nam hoc erat serioris aetatis investigare, quod logica non has potissimum constitutiones tractet, sed notionem ipsam, et quod non sit scientia formarum, quibus cogitemus, sed scientia scientiae, vel, quod idem est, scientia absoluta [53]).

52) L. l. — cf. et Sext. Emp. adv. Math. VII. 22.
53) Cf. Hegel: Wissenschaft d. Logik.

Facta illo modo logica instrumentum philosophiae, et quae ipsa regina esset, ad servilem ancillae conditionem detrusa est, cum plane abiret in dialecticam, quod factum esse apud Stoiços ea satis demonstrant, quae ex eorum placitis Diogenes Laërt.[54]) oblivioni eripuit. Eō minus igitur offèndit, Senecae non necessarium visum fuisse ornare philosophiam suam dialectica, cum nulli illi essent adversarii, quos redargueret; quapropter hanc ipsam philosophiae partem hic non nisi leviter tangere nobis licebit. Reperimus enim in ejus scriptis philosophiae rationalis mentionem in iis tantum locis factam, quibus de philosophia distribuenda in partes agit, et ita quidem, ut eam potius adferre videatur, ne quid abesset, quam quia necessariam putaret. Sed tum etiam fluctuantem eum videmus atque incertum, num Zenonis, an Aristotelis an Platonis auctoritati plurimum sit tribuendum, immo referentem saepe tantum illorum placita, neque quid veri aut falsi iis insit judicantem, et si quid obscurius dictum videretur, ne hoc quidem curantem, sed hujus rei culpam auctori primo adscribentem. Itaque Platonis adferens logicae distributionem[55]),

54) Diog. Laërt. VII. 40. ss.
55) Ep. 58. p. 177.

quartum, inquit, locum habet εἶδος. Quid sit hoc εἶδος adtendas oportet, et Platoni, non mihi imputes hanc difficultatem. Talia, nec non, quod, cum dialectici aliquid attulerit, in talibus disputationibus quidquam positum esse negat, — relatis enim [56]) Aristotelis et Platonis de his rebus sententiis hoc addit: Quid, inquis, ista subtilitas mihi proderit? Si me interrogas, nihil. — Quid de istis capiam remotis a formatione morum? Quomodo me meliorem facere possunt ideae Platonicae? Quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? — aut [57]), expositis iis, quae Stoici de eo disputant, num sapere sit bonum, Olim, dicit, ipse me damno, qui illos imitor dum accuso, et verba apertae rei impendo. Omnia ista circum sapientiam sunt, non in illa, — haec omnia, inquam, satis probant, Senecam admisisse ad philosophiam potius, quam necessariam putasse rationalem ejus partem [58]). Hujus ipsius vero contem-

56) Ep. 58. p. 178.

57) Ep. 117. p. 184. s.

58) Addi possunt loci alii, quibus idem firmatur. Artem sophisticam enim vituperat ep. 111. p. 152.; idem facit ep. 102. p. 109, quaestione Stoica mota, num bonum sit, quod ex distantibus constet; rursus ep. 49. p. 145. — cf. et ep. 48, quae tota fere contra cavillatores et sophistas scripta est; ep. 65. p. 200. — ep. 49. p. 145.,

tus causae cum jam in superioribus expositae sint, tamen fortassis minus etiam reprehensionis illi inerit, si ad indolem totius philosophiae Stoicae respexerimus; immo, fortasse Seneca melius quam ipsi Stoici et Zeno in hac re constitisse sibi videbitur. Ex ea enim imagine, quam de philosophia hic philosophus animo sibi efformaverat, qua Socraticae simillimam et a contemplatione remotam ad solam vitam referri voluit, pro fine proposito pars rationalis fere non videri potuit nisi malum non effugiendum, atque ex adversariorum telis et perversitate ortum, quod ipsum ea quoque, qua Stoici utuntur, ratione, optime perspicitur. Comparant enim logicam cum sepe, hortum muniente, vel cum testa ovi etc. [59]). Neque tamen ob hoc ipsum statuendum est, Stoicos dialectica non usos esse, nisi ad tuenda placita. Erat illis omnino scientia veri ac falsi [60]), ex qua unam eamque principem virtutem derivabant, φρόνησιν, quam esse di-

---

ep. 45. et prae caeteris ep. 88. sub fine, quo loco contra eos philosophos disputat, qui novam induxerint scientiam nihil scire.

59) Cic. de legg. lib. I. extremo. — Sext. Emp. adv. Math. VII. 17. s. — Diog. Laërt. VII. 40.

60) Sext. Emp. adv. Math. XI. 187.

cebant scientiam (ἐπιστήμην)[61], bonorum, malorum atque mediorum[62]), quae sine scientia veri ac falsi esse non potest. Huic vero rei et praeterea tempori, quo Zeno et Stoici vixerunt, deberi videtur cultura diligens, qua Stoici hanc quoque philosophiae partem dignam putarunt. Cum enim illa aetate tot tantaeque in Graecia florerent philosophorum scholae, quorum omnium placita arte dialectica substructa essent, Zeno sententias, quas jamjam animo excoluerat, isto modo firmare coactus erat etiam invitus, praesertim cum Arcesilaus Scepticus litem apertam illi inferret[63]). Postea vero cum indies cresceret atque augeretur praecipue philosophiae Aristotelis auctoritas, qui Zenonem secutus est Chrysippus[64]), argutiis sophisticis implicitus, magis etiam a prima origine philosophiam suam avocavit, et a fine proposito aberravit, unde factum est, ut logicam integram, eamque maxi-

61) De hujus vocis apud Stoicos significatione cf. Sext. Emp. adv. Math. II. 6.

62) Sext. Emp. adv. Math. XI. 184.

63) Sext. Emp. VII 150. et 153.

64) Scripsit enim hic teste Diog. Laërt. VII. 195. ss. logicorum tantum locorum volumina trecenta et undecim, quorum amplissimum catalogum adeas apud eundem Diogenem l. l. — cf. et Sext. Emp. adv. Math. I. 301., qui idem subtilitatem Chrysippi notat.

ma ex parte e controversiis cum Academicis profectam conderet, quae insequente tempore cum urgeret Carneades [65]), magis magisque excolenda erat. Haec vero ratio, quamvis ut supra docuimus, a Seneca notetur veluti aberratio a recto, tamen fere necessaria fuit, magisque etiam improbandus est noster, qui in argutiis quibusdam saepius sibi placet, et in locis laudatis, quibus dialecticam inanem esse demonstrat, haud raro dialectice versatur [66]), quod eo minus laudari potest, cum apud nostrum nil sint ea, quae profert, nisi lusus ingenii, cumque omittat omnino eas res, in quibus apud Stoicos maximus erat dialecticae usus, immo quae sine dialectica non poterant exponi, veluti quaestiones de definitione loci ejusque distinctione ab inani et spatio [67]), et quae sunt reliqua ejusmodi.

65) Sext. Emp. adv. Math. VII. 402. — Plutarch. adv. Stoic. 1. et 2.

66) Cf. et ep. 9. p. 22. ss. quo loco satis inepte — quod mox ipse sensisse videtur, p. 23, quo loco digniter de amicitia judicat; cf. et ep. 3. — illud Attali placitum probare studet: Jucundius esse amicum facere, quam habere. Cf. praeterea ep. 118., qua honestum et bonum inter se differre docere vult.

67) Cf. Sext. Emp. Pyrrh. Inst. III, 124., et quos ad hunc locum laudat Fabricius. — Stob. ecl. I. p. 382. et 390. s. — Stob. l. l. p. 404. s. Chrysippus de motu disserens. Plut. de pl. phil. I. p. 383.

Si vero apud Senecam philosophiae pars rationalis plane neglecta jacebat, non idem accidisse videmus naturali, cum qua, ut jam supra innuimus, arctiore vinculo cohaerent ea, quae in ethica illi placebant. Illa enim quamvis non det vitae praecepta, tamen mediocriter de his rebus cogitans non poterat non intelligere, ea omnia, quae philosophia moralis statuat atque praecipiat, esse debilissima atque vana, nisi fundamentis physicis nitantur. Hoc vero a Seneca quoque intellectum esse, ea satis demonstrant, quae ipse de hac disciplina disputat. Vituperata enim dialectica, at nobis, inquit [68]), in ipsa sapientia commorandum est. Etiam si quid evagari libet, amplos illa habet spatiososque recessus. De deorum natura quaeramus, de siderum elementis, de his tam variis stellarum discursibus; an ad illarum motus nostra moveantur, an et haec, quae fortuita dicuntur, certa lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum aut expers ordinis volutetur. Ista jam a formatione morum recesserunt, sed levant animum, et ad ipsarum, quas tractant, rerum magnitudinem adtollunt [69]). Ex hoc

68) Ep. 117. p. 185.
69) Simillime ep. 65. p. 200. ss. — ep. 95. p. 59.

vero judicio colligi jam potest, Senecam hanc philosophiae partem peculiari ac singulari cura dignam putasse, et in hac excolenda studium diligens posuisse, quod naturalibus suis quaestionibus probavit[70]. Quid vero, quod talia in ejus scriptis leguntur, quibus tibi persuadeas, vel antepositam esse hanc partem ab ipso omnibus reliquis, et morali adeo[71]? Virtus enim ista, inquit, quam adfectamus magnifica est, non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat et praeparat ad cognitionem coelestium, dignumque efficit, qui in consortium deo veniat[72].

Quae cum ita sint, non alienum videtur ab hoc loco quaerere, num Seneca in hac re recesserit ab auctoritate Zenonis et Stoicorum, et exponere de pretio atque dignitate, quam hi ipsi physicis tribuerint, cum haec maxime recepta sit opinio, Stoicos principalem philosophiae partem putasse ethicam, cui excolendae caeterae tantum auxilia subministrare debeant. At mea quidem sententia, quamvis non negaverim singularem in hac parte exponenda eos collocasse operam, quippe qui,

70) Cf. praesertim Nat. Quaest. praef. init.

71) Nat. Quaest. praef. p. 11.

72) Cf. et ep. 65. p. 201. s. et ad Helv. c. 9. init; prae caeteris vero ep. 95. p. 59.

ut supra ipsi concessimus, philosophiam ad vitam potissimum revocare voluerunt, tamen in Stoicos ipsos id, quod in prioribus de Senecae philosophia valere probavimus, idem cadit. Ipsi scilicet bene sentiebant, ethicam nullis aliis roboribus adjutam neque vim suam exhibere, neque omnino stare posse, igitur omnes philosophiae partes vario quidem modo, at efficaces tamen esse ad vitam formandam. At magis etiam quam de ipso Seneca hoc de Stoicis mihi videtur ferendum judicium. Ne enim dicam de gentis Graecae indole, qua omnino magis intelligebant ac sentiebant, scientiam et vitam inter se disjungi non posse, sed alteram ab altera adjuvari, quaque maxime trahebantur ad contemplationem rerum, quae, extra mundanorum horum operum fines sitae, mentem ad altiora evehant, ita ut Graeco vix accidere potuisse putem deponere innatam hanc atque praestantem popularium suorum naturam: jam ea, quae de logica exposuimus, satis hanc sententiam confirmant, cum aliter vix fieri potuerit, ut e disciplina, quae alienissima ab ethica videretur, principalem aliquam virtutem deducendam putarent. Praeterea vero ea quoque, quae ex ipsorum physicis disputationibus ad nos pervenerunt, eandem prae se ferunt indolem. Cum enim Seneca, quod

mox intelligemus, quamvis tam magnifice de partis naturalis dignitate agat, vel in hac tractanda, semper ea eligat, quae eo, quod levent quodammodo atque laxent magnitudine et sanctitate sua animum humanum, tamen aliquo eoque aperto modo mentem in agendo permoveant, cumque igitur etiam in his Romanus animus, utilitati studens, prodeat: longe alia fuit ratio Stoicorum, qui his quidem omnibus omnino non neglectis, eadem ex alia quoque parte contemplanda sibi proposuerunt. Cum vero de his postea dicendum sit, satis erit commemorasse, Senecam multa, in quibus exponendis diligentissimi fuerunt Stoici, aut omnino non adtigisse, aut non nisi obiter. Hujus generis vero sunt, quae ad internam dei ipsius et mundi naturam, prae caeteris autem omnia, quae ad psychologiam referuntur, in quibus non praesto adest usus, quae vero omissa, ea quae in universum proposuimus de ratione, qua Seneca in se receperit philosophiam Graecam, probant vera esse. Inde etiam factum est, ut, quamvis in hac parte philosophiae, Seneca maxime a Stoicis discedat, et praeter ea, quae omisit, aliqua, quae singularia et ipsius propria sint, habeat: tamen talia non legantur in iis, quae de rerum natura ipsa disputentur, sed in iis tan-

tum, quae de ratione inter varias creationis mundanae partes inde intercedente, sese obferant.

Ex his omnibus cum intelligatur, pro indole Stoicae philosophiae naturalem partem negligi non potuisse, tamen altera est quaestio, num tanti, quanti fecisse eam videatur Seneca, eam putaverint, praesertim cum apud illos multa in hanc disciplinam recepta esse memoraverimus, quae non aperte ad vitam formandam spectent, cum apud Senecam ejusmodi non inveniantur. Movet contrarii suspicionem res quae neminem fugit. Inter omnes enim constat multa in physicis non Stoicorum sed ex parte Xenocratis, maxime vero Heracliti auctoritati deberi, quod et Stobaeus[73]), cumque illo Cicero[74]) testatur, et placitorum similitudo docet[75]). Difficile est judicium de illa re, nisi a totius philosophiae Stoicae indole proficiscendum existimaveris. Si enim nisi locorum auctoritate rem conficere nolis, vereor ne res implicita magis sit,

---

73) Stob. ecl. lib. II. p. 62.

74) Cicero de nat. deor. III. 14.

75) Cf. exemp. gr. Heracliti de deo atque de fato placita apud Stob. lib. I. p. 53. et 178. et Plut. de plac. phil. I. p. 355. ed. Hutten, cum iis, quae Zeno et Stoici proposuerunt.

quam quae certo dijudicari queat. Ii enim loci, quos a plerisque allatos esse scio ad pretium, quod Stoici singulis philosophiae partibus tribuerint, quodammodo constituendum, ejusmodi sunt, ut non tantum sibi repugnent, sed omnino aliam flagitent explicationem. Cum enim etiam in aliis Sext. Empiricus et Diogenes Laërtius inter se dissentiant, tamen hoc maxime fit eo loco, quo uterque Stoicorum comparationem philosophiae cum horto, ovo et animali adfert [76]). In his quamvis non videatur recedendum a gravissima Sexti auctoritate, cum omnino tota Diogenis, qua hoc loco utitur, ratio talis sit, quae scriptorem arguat negligentem atque parum adtentum, permiscentem denique et sine ordine tradentem omnia, tamen illum Sexti locum non

76) Cf. Sext. Emp. adv. Math. VII. 17. ss. et Diog. Laërt. VII. 40. Tennemannus (Gesch. d. Phil. IV. p. 19.) qui Sextum sequitur, in quo recte eum fecisse mox demonstrabimus, Diogenem memorat quidem, sed ita tamen, ut locum ipsum non inspexisse eum existimaveris, cum ille adfirmet contrarium illius sententiae, quam in rem suam convertit Tennemannus, nisi gravius quid in eum statuere licet, qui ad sententiam suam, qua ethicam Stoicis principalem partem fuisse contendit, firmandam, commenticium adfert testimonium, quod non leve videtur, cum de re gravissima lis sit, cumque fieri non potuerit, ut librariorum erroribus hic inter utrumque dissensus ortus fuerit.

tantum a Tennemanno et Tiedemanno, sed etiam a doctissimo Lipsio [77]), non bene esse intellectum, cum tota philosophiae Stoicae natura docet, tum etiam ea, quae illam comparationem paullo post Sexti excipiunt verba, probant. Si enim, quod illi omnes volunt, Stoici istis comparationibus usi fuissent designaturi peculiare quoddam, quod cuique philosophiae parti tribuendum sit, pretium, quo facto logica et physica non essent nisi administrae et adjutrices ethicae [78]), ineptissime profecto fecissent Stoici, qui Diogene teste [79]) non ethicam sed physicam ultimo loco in tradendis his disciplinis collocandam esse statuerunt. Quod cum Diogenes de solo Apollodoro adfirmet, Sextus in universum idem de Stoicis testatur [80]), et Plutarchus prae caeteris Chrysippum hanc rationem secutum esse dicit [81]), cujus auctoritatem hoc loco majo-

77) Manud. II. diss. 6. Ea enim quae praeterea adfert, ut probet, praelatam fuisse a Stoicis ethicam omnibus reliquis partibus, non sunt nisi Senecae (de benef. VII. 1.), eaque certe non contra partem physicam, sed contra rationalem dicta. Adferri poterant ejusmodi plurima, quae nos jam supra suo loco attulimus.

78) Cf. diserta verba apud Tennem. Gesch. d. Phil. IV. p. 19. Ii, quos adfert loci Plutarchi et Senecae nil faciunt ad rem dijudicandam.

79) Diog. Laërt. VII. 41.

80) Sext. Emp. adv. Math. VII. 22.

81) Plutarch. de Stoic. repgn. c. IX. ed. Hutten.

rem quam Diogenis esse, non est quod dubitemus, cum multis Plutarchus reprehendat hanc rationem, quam a Chrysippo saepissime comprobatam esse adfirmat [82]). Itaque nisi, quod profecto ineptissimum esset, aut Stoicos non bene, quid ipsis placeret, cogitasse, aut Sextum perversa tradidisse, quis dixerit, alia ineunda videtur interpretandi via, qua illis occurratur difficultatibus. Sine dubio Stoici istis comparationibus non pretium variarum philosophiae partium, sed tantum argumentum cujusque describere voluerunt, unde etiam factum est, ut Posidonius [83]) comparationem

82) Iis rursus locis, quos adfert Tennemannus l. l. p. 19., ut suam veram esse sententiam probet, ratione parum idonea usus est. Primus est Diog. Laërt. VII. 40., de cujus auctoritate jam supra diximus, qui tamen etiamsi nil de fide ei detraxerimus, tantum adfirmat, in tradenda philosophia a Stoicis plerisque tertio loco positam esse ethicam. Alter vero, quem adfert, Plutarchi (l. l.) illum minime juvat, sed maxime potius a nostris stat partibus. Ea enim, quae in rem suam convertit Tennemannus, aperte e Plutarchi ipsius animo, vituperantis adeo Stoicorum sententiam, et contrariam probantis, dicta sunt. Tertius denique Sext. Emp. adv. Math. VII. 22., apertissime facit contra illum. Nam quis ex eo unquam colligere poterit e Stoicorum sententia physicam non fuisse nisi ancillam ethicae, quia in tradendo hanc sequatur. In disciplinis tradendis rem aliter esse putaverim. — Cf. praeterea et Sexti verba, quae (§. 23.) excipiunt priora, quibus causam ex Stoicorum mente addit, cur ultimo loco collocanda sint physica, scilicet quia praeparatum flagitent et elatum animum.

83) Sext. Emp. adv. Math. VII. 19.

philosophiae cum animali omnibus reliquis praetulerit, cum in hoc exemplo simul intima singularum partium necessitudo atque conjunctio conspiciatur, quod ipsum probat, omnes e Stoicorum sententia ad pretium pares fuisse, cum sine reliquis singulae corruant. Sponte vero inde elucet, quomodo fieri potuerit, ut ordinem, quem ipsi proposuerunt Stoici, quo physica ultimum teneat locum, servare potuerint, quod aliter ineptissimum fuisset [84]), neque minus liquet, istis locis nil effici ad investigandum id, quod quaerimus, et non recte fecisse eos, qui, illis ipsis permoti, ethicae primum a Stoicis, si ad pretium respiciamus, concessum esse locum contenderint, rem certe probandam, non sine argumentis et contra Graecorum indolem contendendam. Et non est quod majorem hujus quaestionis fructum expetamus, cum non minus contra eas, quas in tradenda philosophia Graeca et Romana modo consti-

84) Hanc rationem, qua egregie tollitur omnis offensio in iis, quae Sextus tradidit, probatissimam quidem mihi, non tamen meam esse, libentissime fateor, et est quod publice gratias agam viro clarissimo C. E. Ch. Schneidero, hujus Academiae Professori, qui, qua semper in me usus est humanitate et liberalitate, vel hac in re fluctuantem et incertum egregia sua adjuvit sagacitate, et quod invenisset verum benignissime mecum communicavit.

tuimus, regulas peccaturi essemus, si probare placeret, Graecis ethicam non fuisse nisi ministram philosophiae naturalis. Utraque utrumque firmat atque corroborat, et neutram ad servilem conditionem detrudere licet[85]). Itaque non injuria etiam in sequentibus ita exponemus, ut eluceat, ex utraque auxilia esse arcessita ad alteram, quod quidem minime alienum est a Stoicorum rationibus, quorum nonnulli etiam ita de his disciplinis conjungendis judicarunt, ut ne proponendas quidem et tradendas dividi et scindi vellent[86]). Si igitur omnino de aestimatione aliqua singulari singularum partium sermonem quis instituerit, hoc non fieri potest, nisi ita, ut non de pretio sed de dignitate cujusque quaeratur, quae jam alia res est. Neque dubium videtur hanc principem dignitatem a Stoicis non minus quam a Seneca non ethicae sed potius physicae concessam fuisse. Cum enim et illi dicerent philosophiam rerum humanarum et divinarum scientiam, facillime liquet, logicam et ethicam humana magis tractare, divina

85) Cf. et Plut. de plac. phil. I. p. 346 : τὴν δὲ φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείϛ· ἐπιτήδειον δ' εἶναι μίαν καὶ ἀνωτάτω τὴν ἀρετήν· ἀρετὰς δὲ τὰς γενικωτάτας τρεῖς, φυσικὴν, ἠθικὴν, λογικήν.

86) Diog. Laërt. VII. 40.

vero physicam, quae, ut neminem fugit, tunc temporis non ea tantum continebat, quae nostris temporibus physicis tribui solent, sed etiam quae nobis metaphysica dicuntur. Si vero haud facile quis negare poterit, divina praestare humanis, etiam confitebitur eam scientiam, qua illa, quam qua haec contineantur, majore quadam nobilitate atque dignitate se commendare, quod etiam Stoici bene intelligebant, cum, teste Sexto [87]), ob eam ipsam causam physicam in tradenda philosophia ultimo loco collocandam esse putarent, quia haec praeparatum pectus atque probitatem animi desideret, cum nisi emendata mens divina capere atque recipere nequeat. Inde vero facile consequitur ratio inter omnes philosophiae partes intercedens, quae non est ejusmodi, qualem desiderant et demonstrare conantur Lipsius, Tennemannus et Tiedemannus, qui omnino id neglexit quod caput est, scilicet quod philosophia quae non esset philosophia, qualem ille describit Stoicam, omnibus ex partibus repugnet ingenio Graecorum, cum isto modo abstergantur et abjiciantur quaecunque philosophiam supra vitae communis usum tollant et evehant. — Si

87) Sext. Emp. adv. Math. VII. 22.

vero cui accuratius et fusius fortasse, quam decebat, de his omnibus exposuisse visus fuero, rei ipsius, quippe a qua pendeat justa atque recta aestimatio non tantum philosophiae Stoicorum, sed etiam Senecae, gravitas excusabit. Nunc vero ad ipsam naturalem partem accedamus.

Est vero Stoicis physica illarum rerum scientia, quae ad mundum atque naturam pertineant [88]), cujus argumentum secundum Senecam scinditur in duo [89]), in corporalia et incorporalia; vel, quod idem est [90]): duo sunt in rerum natura ex quibus omnia fiant, causa et materia. Stoica, quod ipse dicit l. l., est divisio, et quidem jam ipsius Zenonis [91]). Causam vero etiam Senecae esse, quod Zeno appellavit τὸ ποιοῦν, vel deum, l. l. dicitur: Causa autem, id est ratio, materiam format et, quocunque vult, versat. Et mox [92]): Quaerimus quae sit causa: ratio scilicet faciens,

88) Plutarch. l. l. paullo infra.
89) Ep. 89. p. 368.
90) Ep. 65. p. 197.
91) Diog. Laërt. VII. 134. — Cf. ad hunc locum etiam Aldobrandinum et Menagium, et quos illi adferunt locos. — Plut. de placit. phil lib. I p. 358. iisdem fere verbis eadem adfirmat, et non secus Sext. Emp. adv. Math. IX. 11.
92) Ep. 65. p. 200.

et [93]): Nempe universa ex materia et ex deo constant. Videmus igitur veluti synonymis hic usum esse nostrum vocibus causa, deus et ratio, quod non abhorret a Stoicorum more [94]). Similiter aliis in locis animus non aliena significatione his additur [95]): Nostri melior pars animus est, in illo (deo) nulla pars extra animum, totus ratio est. Ex iisdem vero quos attulimus locis etiam liquet, eum sicuti Stoicos existimasse, materiam esse aeternam [96]), a ratione vero potentiore [97]) et ipsa aeterna [98]), efformatam. De ipsius vero dei natura aliter Senecam sensisse quam Stoicos, e loco, quem supra attulimus [99]), facile intelligitur. Dicit enim: physicam discindi in corporalia et incorporalia. Incorporeum igitur

---

93) Sen. l. l. p. 202.

94) Diog. Laërt. VII. 134. — Stob. ecl. I. p. 160.

95) Sen. Nat. Q. I. praef. p. 9.

96) Diog. Laërt. VII. 134. et 150. — Stob. ecl. lib. I. p. 322. et 324. — Lipsius: Physiol. Stoic. II. diss. 2.

97) Sen. ep. 65. p. 202. Potentius est, quod facit, quod est deus, quam materia patiens dei. — Diog. Laërt VII. §. 134. et 136. — Cf. et Platonem in hoc placito conspirantem in Timaeo, et apud Plutarchum adv. Stoic. cap. 34. et de placit. phil. II. p. 393., quo etiam Pythagorae idem tribuitur.

98) Diog. Laërt. l. l. *τοῦτον (θεὸν) γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν.*

99) Sen. ep. 89. p. 368.

esse putavit deum [100]). Hoc vero minime erat e Stoicorum sententia. Zeno enim, cum contentionibus adversus Platonem, in quo vituperaverat, quod inanem notionem rem veram esse contenderet [1]), eo aberraret, ut nil effici posse putaret a natura, quae expers esset corporis [2]), deo corpus tribuit [3]), et qui-

---

100) Firmatur idem Nat. Quaest. prooem. p. 10.: Quam utile existimas cognoscere, utrum idea materiae prius superveniat, an materia ideae. — Aliis in locis ita de hac re disputat, ut in ambiguo videatur esse, num Plato, deum incorporeum esse contendens (Cf. Phaedr. p. 318. et 319. — Phileb. p. 223 — 248.), an Zeno verisimillimum dicat. cf. ad Helv. 8. p. 129.

1) Cicero Acad. I. 11.

2) Plutarch. de plac. phil. I. p. 377. *Οἱ Στωϊκοὶ πάντα τὰ αἴτια, σωματικά.* — Sext. Emp. adv. Math. IX. 211. et quae infra de Stoicorum *λεκτῷ* dicemus. — Immo Basilides Stoicus omnino nihil incorporeum esse contendit. Cf. Sext. Emp. adv. Math. VIII. 258.

3) Jure hoc contendit Lipsius: physiol. Stoic. II. diss. 5., non tantum totius physicae Stoicorum rationi, sed etiam aperto testimonio Diogenis VII. 134. (*ἀλλὰ καὶ σώματα εἶναι τὰς ἀρχὰς καὶ ἀμόρφους*) fretus. Rectissime enim ibi defendit lectionem *σώματα*, quam viri docti omnes nescio quibus auxiliis in contrarium vertere voluerunt. Nihil vero excogitari potest, quod miserius hunc locum adfligat, quam illae emendationes, quamvis summorum virorum sint. Quomodo enim de eo quod jam sit incorporeum (hoc enim illi volunt) sana mente praeditus dicere possit, *εἶναι καὶ ἄμορφον*, non liquet, neque magis quid sit *ὕλη ἀσώματος*, quam tamen esse in principiis, quae ipsa describit hoc loco Diogenes, nemo negaverit. Tutelam hujus loci praeterea omnes loci

dem igneam ejus naturam, esse dixit[4]). At ne quis putet, hanc ob causam Senecam ad multo altiorem numinis ideam animum suum evexisse, quam Stoicos, qui materialismo, quem vocant, dediti fuerint. Multa haec vetant; prae caeteris vero virtutes, quam summo numini tribuerunt, reliquae, et quod id, quod ignem artificiosum vocaverat Zeno, etiam πνεῦμα postea ab iis vocabatur[5]); tum etiam controversiae, quae Stoicis ob ipsum placitum de atomis cum Epicureis erant[6]), maxime vero ipsorum incorporei definitio[7]) et de corporibus placita. Distinguebant enim Stoici inter

suscipiunt, quibus aut deus, aut mundus (idem enim utrumque esse mox docebimus) corporeus esse dicitur. cf. de his: Diog. Laërt. VII. 137. et 138. et Menagium ad h. l. — Stob. ecl. I. p. 494. et 496. — Plutarch. de plac. phil. I. p. 360.

4) Stob. ecl. I. p. 58., 60. et 304., quo loco Heraclito idem placitum tribuitur, de quo et cf. Plutarch. de plac. philos. I. p. 255. — Stob. l. l. p. 64. — Plutarch. l. l. p. 362. et 373.

5) Plutarch. de placit. phil. I. p. 373. — De phys. phil. decr. I. 7. — Stob. ecl. I. p. 58., 66. et 538. — Diog. Laërt. VII. 138. et 139. — Sext. Emp. Pyrrh. Inst. III. 218. — Cicero: de Nat. Deor. I. 14. — Acad. II. 41. — Cf. et Lipsius: Physiol. Stoic. I. diss. 7. et Vossius: Theol. Gentil. lib. VII. c. 5.

6) Plut. adv. Stoic. c. 22.

7) Diog. Laërt. VII. 140. s. — cf. Lipsius: Physiol. Stoic. II. dissert. 5.

varia corporum genera, idque, quod nos corpus intelligimus, densum corpus dicebant[8]), cum etiam aliis rebus corpus tribuerent, quibus vulgaris hominum opinio nihil corporei inesse putat, veluti voci[9]) et similibus[10]), immo omnibus, quibus aliquid effici possit, quod subtiliter exponebant in placito de eo, quod ipsi λεκτὸν adpellabant[11]). His omnibus vero intelligitur, discrimen, quod in cogitando numine inter Stoicos et Senecam obtinuerit, aut non esse nisi in physicis rationibus positum, aut fortassis nullum omnino, cum, quod supra memoratum est, Seneca in his rebus sibi non constiterit et quaerendum sibi ne proposuerit quidem aut de intima natura divina aut de materiae atque elementorum rationibus, in quo diligentissimi fuerunt Stoici[12]). Ad moralem vero si illud discrimen referimus, plane nul-

8) στερεὸν σῶμα. Diog. VII. 135.

9) Sext. Emp. adv. Math. VI. 54. — Pyrrh. Inst. II. 104. cum notis Fabricii.

10) Cf. Sext. Emp. adv. Math. VII. 38.

11) Cf. de hoc placito: Sext. Emp. adv. Math. I. 28. — IX. 211. s. — VII. 38. — VI. 54. cum notis Fabricii — Pyrrh. Inst. III. 52. — II. 104. cum notis ejusdem, qui rem bene explicuit ad Pyrrh. Inst. II. 104. et 84. — cf. et Lipsius: Phys. Stoic. II. diss. 5.

12) Cf. Stob. ecl. lib. I. p. 312. ss. et 370. ss. — Diog. Laërt. VII. 134. et 136. — Sext. Emp. adv. Math. IX. 362.

lum est, quod mox demonstrabimus, si prius de modo, quo deúm cum materia conjunctum cogitabant Stoici et Seneca, exposuerimus.

Duo sunt, quae hac disputatione investiganda videntur. Alterum, num aeternus sit mundus, an in tempore a mente materiei supervenienti efformatus; alterum, num haec mens magis videatur esse vis, quae per ipsam suam naturam ad mundum efformandum impulsa et quasi coacta fuerit, an deus, cui in res genitas aeternae suae sint leges atque liberum arbitrium. Apertus est in priori placito Stoicorum et Senecae consensus et quidem talis, qui demonstret, utrosque in tempore mundum factum existimasse. Memoratur enim a Diogene [13]) modus, quo a deo κατ' ἀρχὰς καθ' αὑτὸν ὄντι, primo materia per aërem in aquam commutata sit e Zenonis sententia [14]); Seneca vero sapientis, quam in solitudine degit vitam, comparat vitae Jovis [15]), cum, resoluto mundo, et diis in unum confusis, paullisper cessante natura, adquiescat sibi, cogitationibus suis traditus. Confirmatur idem eo, quod elementa (τὰ στοιχεῖα), quibus illi omnia

---

13) Diog. Laërt. VII. 136.

14) Cf. et Diog. Laërt. VII. 141. — Cicero de Nat. D. I. 9.

15) Ep. 9. p. 25.

constare putabant [16]), quae a deo effecta modo diximus esse, etiam cum mundi, quam ponebant [17]), combustione, interitura dicebant [18]).

Magis implicita est altera quaestio. Licebit tamen haec pro certis habere. Deus et mundus ex Stoicorum rationibus arctissime sunt conjuncti, ita ut mundus quoque ipse, cum sit omnium rerum complexus [19]), commode ipse deus dici possit [20]). Mundus igitur est et rationalis [21]), habetque omnes virtutes [22]), quas deo Stoici tribuendas docuerunt, praeterquam quod non sit aeternus, quod quidem Stoicos docuisse non mirum est, cum mundum non esse dicant nisi conjunctione dei cum materia, quam initium habuisse et

16) Sext. Emp. adv. Math. IX. 362 — Stob. ecl. I. p. 312.

17) Notandum tamen est, dissentire in hoc placito Panaetium, quippe cui, mundum aeternum esse, magis placeret. Stob. ecl. I. p. 414. — Diog. Laërt. VII. 142. — Plutarch. de plac. ph. II, p. 398.

18) Diog. Laërt. VII. 134. in fine. Plutarch: adv. Stoic. c. 31. et 35. in fine. — Stob. ecl. lib. I. p. 414. — Diog. Laërt. VII. 137. et 141.

19) Stob. ecl. I. p. 494. — Diog. Laërt. VII. 140.

20) Plut. de plac. phil. I. p. 373. — Cicero: de Nat. Deor. II. 11. et 14. — Diog. Laërt. VII. 137. et 148. — Sext. Emp. IX. 138. et 107. — Stob. ecl. I. p. 494. et 496

21) Sext. Emp. IX. 101 — 104. Cicero: de Nat. Deor. I. 10. et 15.

22) Cicero: de Nat. Deor. II. 11. — Diog. Laërt. VII. 139.

finiri aliquando, supra probavimus. Quomodo vero cogitaverint Stoici conjunctionem dei cum materia, ex iis accuratius perspicitur, quae nobis a Diogene [23]) e Chrysippi, Posidonii aliorumque libris servata sunt. Dicunt enim illi mundum esse animal [24]), eique principale quoddam tribuunt, et per omnes mundi partes, ut per corpus nostrum animum, ita mentem divinam diffusam esse adfirmant [25]), ita ut deus nil sit, nisi anima mundi [26]), quod placitum Cleanthis disertis quoque verbis Stobaeus adfert [27]). Haec omnia si aequa lance perpendimus, dubium non videtur, Stoicos incidisse in pantheismum, qui vocatur, et id quod illi praeposuerint omnium rerum ordini, magis naturalem aliquam esse vim, quam deum.

In his vero jam paullisper a Stoicorum auctoritate recedentem videmus Senecam. Quamvis enim et hic in nonnullis locis ita disputet, ut naturam atque deum pares esse conten-

---

23) Diog. Laërt. VII. 139.

24) Sext. Emp. IX. 107. — Cicero: de Nat. Deor. II. 10. ss.

25) Diog. VII. 138 et 143.

26) In quo consentiunt cum Democrito: Plut. de plac. ph. I. p. 371.

27) Stob. ecl. lib. I. p. 58. — Ita etiam Plutarchus (de placit. phil. I. p. 373.) qui deum ex Stoicorum sententia dicit: *πνεῦμα διῆκον δι᾽ ὅλου τοῦ κόσμου.* — cf. et Sext. Emp. Pyrrh. Inst. III. 218.

dat [28]), et deum a mundo non distare dicat [29]), cum, quod videas totum sit, et quod non videas totum, mens universi, opus suum et extra et intra tenens [30]), tamen ex iis, quae de ratione, secundum Senecam inter deum et homines obtinente, infra disputabimus, facile adparebit, eundem numen non ut Stoicos, sed ex contraria parte cogitatione excepisse, qua divina eaque aeterna voluntas, quam fatalis necessitas magis prodeat, quae cum re fortassis eadem esse demonstrari possint, tamen ad commovendas hominum in agendo mentes, valde inter se distant.

Si vero e prioribus facile consequitur, tum Stoicos, tum Senecam statuisse mundi opificem, eumque intelligentem et ratione praeditum, quem aut deum, aut rationem, aut

---

28) Sen. de benef. IV. 8. Ergo nihil agis, qui te negas deo debere, sed naturae, quia nec natura sine deo est, nec deus sine natura; sed idem est utrumque nec distat officio. — Nat. Quaest. II. 45. Vis illum (Jovem) naturam vocare? Non peccabis, etc. — de benef. IV. 7. Quid enim aliud est natura, quam deus et divina ratio toti mundo et partibus ejus inserta. — Cons. ad Helv. cap. 8. p. 129. Divinus spiritus, per omnia, minima et maxima, aequali intentione diffusus.

29) Nat. Quaest. II. 45. Vis illum (Jovem) vocare mundum? Non falleris. Ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua.

30) Sen. Nat. Quaest. I. praef. p. 9.

naturam adpellari liceat: postquam dictum est de modo, quo ex illorum sententia natura divina cum mundo aut cum materia conjungatur, altera est quaestio de ratione, qua numen divinum in curandis rebus creatis referendum sit ad mundum et ad hominem. Ac primo quidem gubernationis sapientissimae, et benignissimae providentiae notio [31]), atque omnium virtutum, quas philosophi summo numini tribuerunt, e natura, summa ratione praedita, facile derivari potest, neque est quod accuratius agamus de re notissima. A Stoicis vero in hac re Senecam non discedere, tum modus, quo eum cogitasse deum demonstravimus satis docet, tum etiam vel levissima eorum quae scripsit inspectio. At singulare tamen est aliquid, in quo Seneca discedit a Stoicis. Est hoc scilicet is, quem jam supra diximus modus, quo summa atque omnibus rebus praefecta ratio, magis dei, quam naturae intelligentis forma, menti ejus obversabatur. Probatur hoc maxime iis, quae de ratione dei ad homines exposuit noster, quae sunt ejusmodi ut multo magis, quam apud

31) Cf. Diog. Laërt. VII. 147. — Hymn. Cleanthis ap. Stob. ecl. I. p. 32. et p. 180. — Plut. de plac. phil. I. p. 362. ss. — Cic. de nat. deor. I. 15. et II. 30. ss.

Stoicos [32]), prodeat amoris divini imago, quam ita quoque expressam videmus a Seneca, ut eam potius ab aetate originem traxisse dixerim, qua religio Christiana divinam suam vim etiam in terris, lumine ejus nondum illustratis, mirifico quodam modo exhibuisse, et in inscios beneficia sua congessisse videatur, quam ex ingenio hominis pagani profectam esse. Senecae enim deus non tantum est hominum creator atque fatorum rector, sed etiam parens et pater benevolus esse demonstratur. Quidquid, inquit [33]), nobis negatum est, dari non potuit. Quisquis es, iniquus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster. Et post: Bene aestimata naturae indulgentia, confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Ita est; carissimos nos habuere dii, habentque. More deinde optimorum parentum, qui maledictis infantium suorum adrideant, non cessare dicit [34]) deos congerentes beneficia, cum [35]) patrium habeat deus adversus bonos viros animum, qui non

32) Non tamen alienum fuit a Stoicis ipsis in deo ponere amorem erga homines. Cf. Plut. adv. Stoic. c. 32. et Sext. Emp. adv. Math. IX. 105.

33) Sen. de benef. II. 29.

34) Sen. de benef. VIII. 31.

35) Sen. de provid. 2. p. 229.

tantum amicitia, immo necessitudine et similitudine deo conjuncti, non nisi tempore ab illo differant, discipuli ejus, aemulatores atque vera progenies[36]. Vividiorem vero quendam impetum capere philosophiam moralem tali fundamento nisam, quam cui substruatur deus, qui fere ad solius legis rationalis dignitatem et reverentiam revocatus, aut potius detrusus jaceat, omnium temporum experientia docet.

Haec omnia vero cum rationi inter deum et naturam intercedenti, ex ea parte, qua illi idem sunt, lucem suam adferant, simul, quid fatum fuerit Stoicis et Senecae, obscurum esse non sinunt. Sponte enim inde efficitur, fatalem vim non esse rationis expertem, verum non diversam ab ipso numine, quod ipsum communi consensu confirmant et Stoici[37], et Seneca[38]. Est tamen quod paucis disputemus de ratione, quam obtinuisse verisimile est ex Stoicorum sententiis inter varia illa nomina, cum quidem constet, synonyma significari vocibus deus, natura, providentia fatum, ratio, mundus, non tamen ita, ut nulla plane sit dissimilitudo, quod non licet, quia

36) Sen. de provid. 1. p. 227.
37) Diog. Laërt. VII. 134. — Stob. ecl. I. p. 160.
38) Sen. Nat. Quaest. II. 45.

saepius tum a Stoicis, tum a Seneca aliquantulum inter se discedere dicantur. Res non ita difficilis est ad dijudicandum, si modo Stoicis ipsis atque horum singulis effatis de istis rebus utimur ducibus. Primum enim Seneca ipse dicit [39]: Natura, fatum, fortuna, omnia ejusdem dei sunt, varie utentis potestate. Stoici vero deum varia induere nomina adfirmant, pro varia, quam transeat materia [40]. Haec vero demonstrant, omnia illa nomina non intimam atque integram significare naturam divinam, sed tantum partem ipsius, aut potuis esse nomina variarum numinis functionum. Neque difficile adeo videtur singulis vocibus propriam suam atque primitivam vindicare significationem. Deus enim significat esse absolutum, idem, quem *Ζεὺς* et *Δία* adpellarunt [41], fontem omnium quae fuerunt, sunt et erunt, mentem aeternam atque omnibus superstitem [42]. Natura est eadem mens, sed illa agens, vivens in tempore, et omnia gignens atque genita nutriens, alma mater, quam homines primam colendam sibi propo-

39) Sen. de benef. IV, 8.
40) Stob. ecl. I. p. 66. — Plut. de plac. phil. I. p. 373.
41) Cf. ipsius Chrysippi harum vocum explicationem ap. Stob. ecl. I. p. 48.
42) Plut. adv. Stoic. c. 31.

suerunt, procreans semper atque procreata[43]). Fatum est ordo seriesque causarum [44]), cum causae, ut Ciceronis verbis utar, causa nexa rem ex se gignit, quarum deus est prima ex qua omnes caeterae pendent, vel immutabilis [45]) rerum ordo ab ipso numine a prima inde mundi origine praestitutus, atque lex omnibus praescripta, cum [46]) diis sua in legem aeterna sit voluntas, statuerintque, quae non mutarent. Recte igitur ex Stoicorum sensu fatum vocaveris legem rationalem (ex summa enim ratione divina profecta est) etiam in rerum mundanarum externa gubernatione positam, quam nos quidem pro humana imbecillitate cognoscere non possumus, aut pulchre cum Chrysippo [47]), sempiternam rerum futurarum veritatem, non vero physicam necessitatem, quod Tiedemannus [48]) probare stu-

---

43) Cf. Diog. Laërt. VII. 148. *φύσιν δὲ ἀποφαίνονται τὴν συνέχουσαν τὸν κόσμον· ποτὲ δὲ τὴν φύουσαν τὰ ἐπὶ γῆς.* cf. et seq. — Cicero: de Nat. Deor. II. 33. — Sen. Nat. Quaest. II. 45. Vis illum (deum) naturam vocare? Non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus.

44) Sen. ad Helv. 8. p, 129.

45) Sen. de prov. V. p. 241. coll. c. Quaest. nat. II. 35.

46) Sen. de benef. VI. 23.

47) Cic. de Nat. Deor. I. 15.

48) Tiedemann: Syst. d. Stoisch. Phil. II. p. 134. ss.

det-locis nihil efficientibus, in quo eo magis vituperandus videtur, cum illa definitio male conveniat iis, quae postea [49]) ipse de deo disserit [50]). Si vero, quomodo itaque a fato

---

49) Tiedemann: l. l. p. 196. ss.

50) Miror equidem hoc ipso loco probatum esse Tiedemannum a Cl. Heerenio, (ad Stob. ecl lib. I. p. 177. quo loco non recte fecisse videtur Heerenius qui ex conjectura recepit *οἱ Στωϊκοί*. Aliénum enim est a Stoicis illud placitum, quo necessitas et fatum non differre dicuntur. Ille enim ipse Plutarchi (de plac. phil. I. p. 387. [ap. Heeren: cap. 27.]) locus, quem in auxilium vocat vir cl., id, quod vult ille, minime probat, neque allaturus fuisset, si verba legisset modo antecedentia, quibus ipsis docetur, discrimen fecisse inter illas duas notiones Stoicos, [de illo discrimine cf. et Stob. ecl. lib. I. p. 218.]) cum ille ipse quem attulimus Plutarchi locus (*Οἱ Στωϊκοὶ τὴν εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην φασίν*), non ad Tiedemanni, sed ad nostram sententiam confirmandam valeat. Loci autem quibus nostra fati explicatio nititur praeter eos, quos jam supra adscripsimus, et illum Plutarchi, quem jure in nostram rem convertimus, hi sunt. — Plut. l. l. paullo infra, Chrysippi sententia. — Diog. Laërt. VII. 149.: *καθ' εἱμαρμένην δέ φησι τὰ πάντα γίνεσθαι ὁ Χρύσιππος.* (cf. ad h. l. notam Aldobrandini) et paullo infra: *ἔστι δὲ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται.* — Stob. ecl. I. p. 178. *Ποσειδώνιος τρίτην ἀπὸ τοῦ Διός (φησὶ τὴν εἱμαρμένην): πρῶτον μὲν εἶναι τὸν Δία, δεύτερον δὲ τὴν φύσιν, τρίτην δὲ τὴν εἱμαρμένην.* Quis enim non videt, etiam iis, quae primo loco de deo et de natura disputavimus egregie subveniri hoc, quem Posidonius proposuit, ordine. Primum scilicet erat esse aeternum, omnium rerum, igitur et naturae fons, deinde natura, omnia gignens, denique fatum, omnium quae natura progenuit lex sempiterna. Cf. et

differat providentia, quaesiveris: haec posita est in iis solvendis atque vere perficiendis, quae fato a primo initio constituta sint, ita ut solvatur quod cuique promissum sit [51]. Non inepte istam dixeris fati, vel sempiternae rerum futurarum veritatis perfectionem. Quomodo denique fons ille omnium quae sint, dici possit ratio, ipso vocabulo exponitur. Sine dubio enim illa internam legem, moralem dixerim, significat, quae quasi dux vitae atque magistra officiorum sit [52], de qua postea in ethicis uberius nobis erit exponendum. Pergravis igitur inest sensus his omnibus, quae non cum Ciceronis Vellejo [53] delirantium somnia, sed virtutum divinarum pulchram adumbrationem dixerim. Quis enim non videt

---

Zenonis sententiam quae Stob. l. l. illam Posidonii excipit, et praesertim l. l. p. 180. Chrysippi varias definitiones et quae de Parcis adfert, earum nomina explicans. — Cf. et Cic. de Nat. Deor. I. cap. 15. — Senecam vero consentientem vide: Nat. Quaest. II. 36—38. — de benef. VI. 23. — de prov. V. p. 241. coll. c. Quaest. Nat. II. 35. — de benef. IV. 7. — Nat. Quaest. II. 45.

51) Sen. ad Marc. cap 20. p. 213. — de prov. cap. 1. — Nat. Quaest II. 45. Vis illum (Jovem) providentiam dicere? Recte dices. Est enim cujus consilio mundo providetur, ut inconfusus eat et actus suos explicet. — Cleanthis hymn. ap. Stob. ecl. I. p. 30. ss.

52) Cic. de Nat. Deor. I. cap. 14. et 15.

53) Cic. de Nat. Deor. I. cap. 16.

sentitque altam illorum significationem? Deus vel *Ζεὺς* designat esse aeternum, natura fieri [54]) sempiternum, fatum immutabilitatem, providentia summam in solvendo veritatem, ratio denique sanctitatem. Simul ex iis, quae proposuimus liquet, non tam leviter, quam plerumque existimant, a Stoicis tractatam esse physicam. Non enim difficile esset etiam reliqua nomina [55]), quae a Stoicis numini supremo tribuuntur, similiter illustrare, quod vero facere omittimus, ne dissertatio liber fiat.

Est, quod in fine hujus de numine, mundo et reliquis, quae illis conjuncta sunt, disputationis, verbo adtingamus eos locos, quibus Stoici deos esse probarunt, idque non nisi demonstraturi, et hac in re Romanum et Graecum ingenium pro consueto more in diversa abire. Cum enim Stoicos in argumentis de hac re colligendis diligentissimos fuisse constet [56]), Seneca ipse quidem, quamvis natu-

---

54) Vide, num male supra judicaverim de philosophiae apud Romanos tractatione, cujus populi ita tarda erat ad res philosophicas indoles, ut ne verba quidem lingua sibi effinxerit, quibus physica atque communem vitae consuetudinem superantia reddi possint. Intelligas quaeso: Ewiges Seyn et ewiges Werden.

55) Cf. Stob. ecl. I. p. 180. et 218. — Plut. de plac. I. p. 389.

56) Cf. Sext. Emp. adv. Math. 88., 111. et 131—133., cum

ram intimam divinam a mente humana percipi negavit, nisi adpropinquatione quadam, qua animum nostrum divini particulam spiritus esse ponamus [57]), illa argumenta non omnino quidem neglexit, sed talia sibi elegit, quae nullo modo egerent dialectico fundamento, et quae sensui potius quam menti probarentur. E naturae enim contemplatione, Platonis exemplo [58]), petendam putabat et cognitionem [59]), et fidem [60]) numinis, quod esse etiam communi hominum aestimatione satis probari putabat, cum veritatis argumentum sit, aliquid omnibus videri [61]). Denique ab omnibus locis probantibus plane recedens supervacaneum omnino esse dicit ostendere in praesentia, non sine custode hoc opus mun-

notis Fabricii, et ea, quae Cicero disputat in libro de Nat. Deor. II., misere quidem adflicta, cum in locum sagacitatis Graecae, oratoris Romani elegans, quod minime negaverim, at levis et inanis tractandi modus successerit.

57) Ep. 31. p. 103. Nemo novit deum. Multi de illo male existimant, et impune. Quaerendum est, quod non in dies fiat deterius; — Quid hoc est? Animus; sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam deum in humano corpore hospitantem. — Cf. et ep. 92. p. 30. et Nat. Quaest. VII. cap. 30. et 31.

58) Phileb. p. 244. — de legg. X, p. 68. — l. l. XII. p. 229.

59) Nat. Quaest. praef.

60) Ep. 41.

61) De provid. cap. I. p. 226.

danum stare [62]), primumque deorumque cultum esse contendit deos credere.

Descendendum nobis est a divina natura ad animum humanum, qui, e rationibus quas de numine proposuimus, non videri poterat Stoicis nisi pars ipsius dei, cum omnem mundum a deo penetrari [63]), et omnem in natura vitam emanare ex ipso contenderent [64]). Quod placitum, ut sponte subsequitur e reliquis, ita aperte legitur multis in locis [65]), nec non est fundamentum omnium, quae tam in physiologia hominis quam in psychologicis apud Stoicos disputata inveniuntur. Ac primo quidem qui deum ipsum corporeum esse contenderant, in quaestionibus de intima animae humanae natura non poterant, quin etiam huic corpus tribuerent, et quidem igneum [66]). Ignis enim divinus si aëri commiscetur, ani-

62) Ep. 95. p. 70.
63) Sext. Emp. adv. Math. IX. §. 101. cf. et supra.
64) Sen. ad Helv. cap. 6. p. 125. ss.
65) Diog. Laërt. VII. 143. — Sen. Ep. 92. p. 31. Quid est autem cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui dei pars est. — Cf. et ep. 41. p. 122. — Ep. 44. p. 128. — Ep. 65. p. 201.
66) Plut. de plac. phil. IV. p. 442. — Cic. Tusc. Quaest. I. 9. Zenoni animus ignis videtur. — De Nat. Deor. III. 14. — Sen. ep. 92. — De provid. cap. 1. — De vita beata cap. 32.

mam humanam gignit[67]). Cum vero totum mundum aliquando interiturum putarent, atque, cum Heraclito [68]), omnes ejus partes igne combustum iri existimarent, ita ut ad extremum nihil praeter ignem divinum remansurum sit, a quo rursus animante, renovatio mundi fieret [69]), necessario etiam contendebant, animum humanum, quia mundi sit pars, caducum esse atque mortalem. Docuerat hoc jam Zeno, et omnes, qui illum in reliquis secuti sunt, pedibus ire etiam in hanc sententiam non dubitarunt [70]). Ne vero existimemus Stoicos ob hoc ipsum cum corpore animum quoque interiturum esse statuisse. Videntur potius cogitasse de animarum quadam migratione, quae cursu suo peracto ad extremum cum deo ipso conjunguntur, et omni inter creatorem et res creatas discrimine sublato, esse desinunt nisi in deo ipso, quod placitum Senecae saltem vindicandum esse postea docebimus. Sed etiam a reliquis Stoicis fortasse non erat alienum, quod verisimilius quoque esse apparebit, ubi de similitudine

67) Diog. Laërt. VII. 156.
68) Sext. Emp. Pyrrh. Inst. I. 212.
69) Cic. de Nat. Deor. II. 46. — Diog. Laërt. VII. 137. Cic. Acad. IV. 38.
70) Diog. Laërt. VII. 156. — Cic. Tusc. Quaest I. 32.

dei, quam omnes Stoici homini adfectandam esse docuerunt, agendum nobis erit, quae non aliena est ab eo, quod ὁμοίωσιν θεοῦ dixerunt Socrates et Plato [71]). Nec est praeterea in hac re negligendum, quod Chrysippus non omnes animos sed sapientum solos ad istum exustionis terminum perdurare dixit [72]). Placebat enim etiam reliquis Stoicis, animos aliquamdiu post mortem exstituros [73]), et quidem per tantum temporis spatium, quod, si vitae nostrae comparatur terrenae, fere aeternitas dici poterit, quo placito simul subveniebatur incommodis, quae in tractanda ethica oriuntur, si animos mortales esse ponimus. Non enim erat causa cur prius eos interituros docerent, quam cum omnium, quae genita sint, combustione [74]), quam omnes Stoici futuram esse existimabant [75]). Hanc vero Diogenes Stoicus [76]) nisi exactis trecentis et

71) Cf. Stob. ecl. II. p. 64.

72) Diog. Laërt. VII. 157. Illud vero placitum ejusmodi est, ut accuratiorem desideret explicationem, quam quae pro hoc loco institui potest quaestio.

73) Cic. Tusc. Quaest. I. 31. et 32. — Diog. Laërt. VII. 156. et 157.

74) Cf. diserta verba ap. Diog. Laërt. VII. 157.

75) Cic. Acd. IV. 38. — De Nat. Deor. II. 46. — Plut. de Stoic. repgn. p. 1075.

76) Stob. ecl. I. p. 264. cum nota Heerenii, quosque hic laudat scriptores.

sexaginta quinque annis Heracliticis non adfore dicit, quorum singuli *Stobaeo* l. l. teste octodecim millia annorum vulgarium complectuntur [77].

Seneca vero ipse in iis locis, quibus de anima, num sit mortalis necne, disserit, ita disputat, ut in ambiguo eum videas, utrum Zenonis an Platonis hac in re auctoritati plurimum sit tribuendum. Videtur enim Platoni adsentire mortem dicens portum vitae procellosae [78], in quo veluti quiescat animus, tandem liber sit, tandem tutus, tandem aeternus [79], vitamque non veluti finem, ad quem geniti simus, sed veluti transitum ad praestantiora et majora ponere. Innumeri sunt loci, quibus hoc dicitur [80]. Ex altera autem parte

---

77) En ingentem numerum, et haud scio an sit satis magnus ad substruendam ethicam non secus quam immortalitatis spes, et an perperam judicaverit Tiedemannus (Syst. II. p. 155.) qui Lactantium, Stoicos animorum post mortem existentiam credidisse adfirmantem (Instit. div. VII. 7.) atque plura non ita inepte de his rebus ex Stoicorum ratione disserentem, satis graviter vituperat, eumque Zenonem cum Platone permutasse contendit, quod vix putaverim accidisse viro philosophiae Graecae et Romanae haud imperito.

78) Ep. 70. p 227.

79) Ad Polyb. cap. 28. — ad Helv. in fine.

80) Ep. 102. p. 110. — Ad Marc. cap. 19. p. 209. — Ep. 76. p. 271. — Ep. 71. p. 238. — Ad Polyb. cap. 20. — Ad Marc. cap. 24. et 25. etc.

dubius esse videtur de hac re [81]), et nimio, puto, amori Zenonis et Stoicorum indulgens, animas, quas aeterna sortitas esse dixerat, cum deo visum fuerit omnia delere et novum rerum ordinem moliri, in antiqua elementa versum iri praedicat [82]), parum hoc respiciens, quod in omnibus reliquis locis animam numinis partem esse doceat, cujus existentiam vere aeternam esse nullisque finibus circumscriptam omnes Stoici contendebant. Et profecto e modo, quo de hac re saepius disserit [83]), optime conspicitur, eum magis discedere dubitasse a Stoicis, quam comprobavisse illorum placitum, quod fortassis rationibus satis idoneis non poterat coarguere. Nisi forte, quod jam supra innuimus Seneca cogitavit de regressione quadam animarum ad fontem suum legitimum, quae cursu suo peracto, et ad summum, quem percipere possint, perfectionis gradum evectae, omnibus, quae elementis constent, labentibus, supremum finem suum adsequantur, et deo consociatae aut potius unitae, in illo degant, ita ut omnis inter ipsas et deum desinat diversitas. Antiqua vero elementa, in quae versum iri animas dicit,

81) Ep. 63. in fine. — Ep. 65. in fine.
82) Ad Marc. cap. 26. in fine. — Ep. 54. p. 161.
83) Ad Polyb. cap. 21. et 22.

tum nihil aliud essent, nisi divinus spiritus ipse et aër, quibus duobus Stoici animum humanum constare dixerunt [84]), aut ignis divinus, qui post mundum exustum et post elementa consumta solus remaneat [85]). Et est fortassis, quod hanc sententiam adscribamus Senecae veluti proprium aliquid, cum, ut infra videbimus, haec optime conveniat Stoico illi placito, quo animum humanum dei similitudinem petere debere ponunt, cujus summus gradus est plane conjungi cum deo, atque nulla in re distare ab ipso. Senecam autem re vera cogitasse de conjunctione quadam arctiori cum numine, probant loci supra allati et passim occurentes, quibus de consortio cum diis loquitur, in quod animi piorum post mortem recipiendi sint. Legitur vero locus satis memorabilis [86]), quo dicitur: Mors, quam pertimescimus et recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea docebo, omnia, quae videntur perire, mutari, etc. Resurrectionem animarum aut saltem transitum in nova corpora non leviter innuit noster,

84) Diog. Laërt. VII. 156.

85) Cf. Tiedemann Syst. Tom. II. p. 99. ss.

86) Sen. ep. 36. p. 113.

quod vero, nisi vehementer fallor, sententiae meae, supra expositae, favere magis, quam contradicere videtur, cum speratum illud a Seneca consortium divinum tum demum locum habere possit, cum anima humana ab his quoque vinculis libera, et cursu suo peracto, emendata, omnibus alienis abjectis et depositis in numen, unde originem traxit, regreditur [87]). Immo, inde etiam liquet, quomodo Seneca nunc ita de futuro animarum statu judicare potuerit, ut iis tribuat existentiam personalem [88]), nunc ita, ut remeare eas dicat eo, unde venerint, et mori nihil aliud sit, quam non natum esse [89]). Si enim re vera remeemus in numen atque unum fiamus cum deo, hoc alio modo cogitari nequit, nisi cum oblivione omnium, quae nobis acciderint, quique fuerimus, quia in deo conscientia simplex tantum eaque sui ipsius esse potest, omnisque hac conjunctione proprietas ingeniorum

---

87) Cf. Sen. ad Marc cap. 25. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit et totus excessit, paullumque supra nos commoratus, dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnis mortalis aevi excutit, inter felices animas currit, excipitque illum coetus sacer etc.

88) Sen. ad Marc. cap. 25. s. et passim.

89) Ad Marc. cap. 9. p. 209. Mors nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur jacuimus, reponit. — Ibid. cap. 24. in fine.

desinit. Tollitur igitur hac ratione Stoicorum de animis post mortem placitis non existentia animarum materialis, ut ita dicam, sed tantum formalis et personalis, quod placitum non Stoici soli pro suis principiis necessario amplectebantur, sed omnes ad idem adducantur necesse est qui cum Stoicis summam perfectionem et felicitatem inde redundantem, quae in deo solo esse potest, homini non adpetendam tantum sed etiam adsequendam proponunt. Ipsa igitur haec ratio, neque Stoicorum reliquorum de animis post mortem conditione placitis, neque caeteris quae noster de his rebus disputat, repugnat. Immo fortasse Seneca, si ei mens fuisset aptior ad contemplativa studia, hoc placitum, gravissimum sane et efficacissimum ad moderandam vitam humanam, deligentius exposuisset [90]).

Jam si non erravimus rationem hominis ex Stoicorum et Senecae sententia divini particulam spiritus dicentes, de viribus, quae illi

---

90) Cf. de toto hoc placito: Meiners: Commentarius quo Stoicor. sententiae de anim. post mortem statu et fatis illustrantur, in: Vermischte Schr. Tom. II. p. 265. ss., qui tamen neque omnes Stoicorum qui supersunt locos, in judicium vocavit, et gravissima quaedam Senecae effata silentio praetermisit, ea tantum adferens quae hujus philosophi majorem contemtum parere possent.

insint, non ita diu nos morari potest quaestio. Sunt enim illae necessario non aliae nisi dei ipsius. Habitat deus in nobis, continens absolutam perfectionem, omnesque, quae ad hanc pertinent, virtutes [91]). Haec sicuti sponte colliguntur ex iis, quae supra exposita sunt, ita etiam locis firmantur [92]). De hoc vero quaeri potest, quomodo divino illi spiritui pro sua conjunctione cum terrenis, liceat vim suam divinam exhibere, et quibus e partibus vincula, quibus obstrictus teneatur, effugere possit. Et in hac quidem re diversitatem aliquam obtinuisse inter Stoicos priscos et Senecam confitendum est. Perfectam enim intelligentiam et cognitionem eorum, quae bona sint aut mala, omnes concedere debuerunt rationi [93]), cum quamlibet naturam intelligentem se ipsam nosse ac perspicere non negaveris, et cum, quid bonum malumve sit, ipsius tandem cujuslibet constituatur judicio,

91.) Ep. 92. p. 23. Divina ratio omnibus proposita est; ipsa sub nullo est; et haec autem nostra eadem est, quae ex illa est.

92) Ep. 41. p. 122. Prope est a te deus, tecum est, intus est.| Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque in nobis custos et observator. — Ep. 31. p. 103.

93) Stob. ecl. II. p. 102. et 104. — Plut. de Stoic. repg. p. 1037. — Cic. de fin. III. cap. 18. init. — Sen. ep. 43. in qua de conscientia agit. — Ep. 41. p. 122.

quae constitutiones simul contineant leges divinas, menti humanae, ob ipsam suam naturam divinam, innatas. Ex altera vero parte animo humano libera in agendo voluntas denegari non poterat [94]). Illa vero non plena in omnibus quae agamus licentia esse potest, sed tantum facultas ita agendi, quomodo pro rationis nostrae legibus agendum nobis sit [95]). Haec libertas quomodo cum fato et cum libero atque omnipotenti arbitrio divino conjungi potuerit, quaeris? Optime, cum ratio, numinis ipsius pars pro sua natura nihil omnino velle possit, quod deo, id est, sibi ipsi repugnet [96]), cumque fatum ab ipso numine secutum, sed etiam scriptum sit [97]), igitur omnino nulla diversitas inter ista duo locum habeat. Si autem hoc modo perfecta libertas voluntatis tum e Stoicorum tum e Senecae judicio necassario tribuebatur rationi humanae, tamen in illo altero, quomodo scilicet

---

94) Plut. de Stoic. repg. p. 1055. et 1056.

95) Diog. Laërt. VII. §. 121. — Cic. Parad. 5. — Sen. ep. 71. p. 243. — Ep. 8. p. 20. Hoc enim ipsum philosophiae servire libertas est. — Ep. 51. p. 151. Libertas proposita est; ad hoc praemium laboratur.

96) Ep. 54. p. 162. Necessitatem effugit sapiens, quia vult, quod coactura est. — Ep. 65. p. 201. Philosophia animum a terrenis ad divina dimisit; haec libertas ejus est.

97) Sen. de benef. VI. cap. 23. — Nat. Q. II. cap. 35.

haec voluntas in vita ipsi consentanea se manifestet, diversi fuerunt. Stoici enim in iis locis quibus sapientis imaginem depingunt [98]), ita versantur, ut ei non tantum perfectam cognitionem et voluntatem bene vivendi adsignent, sed semper bene eum agere et dei similitudinem atque perfectionem vere adsequi dicant [99]); ideoque liberum eum esse ab omnibus animi perturbationibus et adfectibus [100]); immo solum liberum [1]) et regem [2]). Ex his vero superbia oriebatur necessario in Stoicis, sapienti minime conveniens [3]). At Seneca melius perspexisse videtur naturae humanae imbecillitatem. Quamquam enim et hic interdum Stoica quadam confidentia de re proposita disputat [4]), aliis tamen in locis sapi-

98) Cf. Stob. ecl. P. II. p. 198. ss. quo loco perfectissima sapientis Stoici legitur descriptio.

99) Stob. l. l. p. 208.

100) Diog. Laërt. VII. §. 117.

1) Diog. Laërt. VII. §. 121.

2) Diog. Laërt. l. l. — Cic. pro Mur. cap. 29.

3) Caeterum haec omnia, quae de perfecta virtute apud Stoicos disputantur et quae paradoxa maxime videntur, minus fortassis inepta et naturae humanae convenientiora adparebunt, si respexerimus ad ea, quae supra de sapientis et sapientiae notione disputavimus, et quae infra dicentur de virtute ipsa, et in quo Stoici hanc posuerint.

4) Ep. 85. p. 325. ss.

entem non tantum pro cognitione veri ac falsi, quam in omnibus hominibus mancam et debilem esse, multis demonstrat, obnoxium esse errori dicit [5]), sed etiam rebus externis nonnunquam mortalitatis admoneri, veluti in corpore interdum robusto solidoque eruptiones quaedam pustularum et ulcuscula sint [6]), et libere fatetur [7]), etiam sapientem compositum esse ex duabus partibus, ex irrationali, et rationali, quarum prior rebus externis concutiatur, tandemque animum humanum ait [8]) in hoc a natura rerum formatum esse, ut paria diis velit, etsi utatur viribus suis, ac se in spatium suum extendat [9]). Id vero, quod Seneca in iis locis, quibus sapienti absolutam perfectio-

5) Ep. 65. p. 199. Pronuntia, quis tibi videatur verisimillimum dicere, non quis verissimum dicat; id enim tam supra nos est, quam ipsa veritas.

6) Ep. 72. p. 245.

7) Ep. 71. p. 241.

8) Ep. 92. p. 31.

9) Passim se offerunt loci idem firmantes, e quibus haec attulisse satis sit, quae graviora sunt. — Ep. 7. p. 14. Hoc ipsum argumentum est translati in melius animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt. — Ep. 11. p. 30. Nulla sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. — Ep. 57. p. 170. Quaedam nulla virtus effugere potest; admonet illam natura mortalitatis suae. — De benef. I. 1. p. 157. Deos immortales sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur. — Ep. 22. p. 72. — Ep. 92. p. 30.

nem tribuit [10]), magis respexerit ad ideam sapientis, quam ad sapientem, qualem videmus versantem in terra, si minus e locorum modo laudatorum copia eluceat, vel maxime firmatur eo, quod Seneca [11]), distributis iis, qui in philosophia proficiant, in tria quodammodo genera, quorum nullum ad summum sapientiae pervenerit fastigium, sub finem haec addit: De hoc loco aliquid cogitemus. Bene nobiscum agetur, si in hunc admittimur numerum. Magna felicitate naturae, magnaque et assidua intentione studii secundus occupatur gradus; sed ne hic quidem contemnendus est color tertius. Cogita quantum circa te malorum; adspice, quam nullum sit nefas sine exemplo, quantum quotidie nequitia proficiat, quantum publice privatimque peccetur: intelliges satis nos consequi, si inter pessimos non sumus. Ego vero spero me posse et amplioris ordinis fieri. — Optaverim hoc magis nobis quam promiserim: — quae omnia profecto involutam tenent confessionem, Senecam vehementer dubitasse de sapientis in agendo perfectione, quam sapiens adpetere quidem debeat, adsequi non possit [12]).

10) Ep. 85. p. 325. — Ad Helv. cap. 5. p. 122.
11) Ep. 74. p. 262. ss.
12) Cf. praeterea ep. 7. init p. 15. ss. — Ep. 42. init. — prae

Jam superesset in his, quae de natura hominis disputavimus, ut aliquid adderemus de Stoicorum psychologia. Haec vero prae omnibus reliquis philosophiae Stoicae partibus ab historiae scriptoribus tam exiguis curis expedita est, ut fere neglecta dici possit. Cum vero pro toto psychologiae argumento eadem pars etiam Senecae ob minimam quam ad vitam moderandam praebet utilitatem; ne minimi quidem videri posset momenti, ea, quae in schedulis jam elaborata haberem, omittere, quam implicita disputatione, quae breviter absolvi non poterat propter locorum quibus nititur difficultates, libellum nimis augere malui, ne cui aliena viderentur ab hoc loco, quae a Senecae philosophia alienissima esse jure quis dixerit [13]).

caeteris autem ep. 71. p. 242. Hoc loco vitium nostrum est, qui, quod dicitur de sapiente, exigimus et a proficiente. Suadeo mihi adhuc ista, quae laudo, nondum persuadeo, etiam si persuasissem, nondum ita parata haberem, ut ad omnes casus procurrerent.

13) Princeps hujus disputationis caput versatur in judicio de eo, quod *τὸ ἡγεμονικὸν* vocant Stoici. Tennemannus (Gesch. d. Phil. IV. p. 61. ss.) verbo Germanico Denkkraft idem reddit; Tiedemannus (Syst. d. St. Phil. II, p. 165.) rationem fuisse putat. Uterque perverse. Ne longior fiat disputatio, locos gravissimos, a quibus judicium de hac re repetendum est, adscribam, quid vero ipse judicem, commodiore, cum aderit, tempore propo-

In tractanda denique parte morali, ad quam nunc jam accedendum est, duplex proponitur quaestio, prior de principiis in agendo, altera de summo bono, quae duo capita ab omnibus philosophis antiquis diligentissima cura examinata sunt, cum prius investigare jubeat eam legem, quae omnibus humanis actionibus proposita esse debeat, alterum, quid bonum sit aut malum, inquirere. Caeterum ab initio praemonendum est, hanc philosophiae Stoicae partem a prioribus, qui eandem examinarunt, melius esse expositam, quam omnes reliquas, qua de causa in iis certe, quae de philosophia Stoica ipsa disputanda supersunt, breviori mihi esse licebit, cum hoc

---

nam. — Plut. de phys. phil. decr. cap. 4, 5, 8, 21 et 23. — Plut. de plac. phil. IV. p. 443. ed. Hutten. — Plut. de Stoic. repg. p. 392., quo loco τὸ ἡγεμονικὸν sejungitur ab anima. — Cic. de Nat. Deor. II. 11. — Sext. Emp. adv. Math. VII. 239. coll. c. VII. 227. ss. — Pyrrh. Inst. I. 128. — II. 70 — III. 188. s. — Diog. Laërt. VII. 157. et 159. cum nota Menagii et VII. 52. cum nota ejusdem. (Notandus tamen est dissensus, quem quidem plane negligit Tennemannus, obtinens inter Diog. Laërt. (VII. 157.) et Stob. (ecl. I. 878.), qui locus omnino prae caeteris est inspiciendus. Octavam enim animi partem non τὸ ἡγεμονικὸν sed τὸ λογιστικὸν dicit, de quo, num idem sit quod illud, quaerendum est.) — Sen. de ira I. cap. 3. p. 8. quo loco etiam animalibus brutis tribuitur τὸ ἡγεμονικόν. — Cf. et Sen. ep. 71. p. 241. — Stob. ecl. I. p. 332. et p. 878.

Jam superesset in his, quae de natura hominis disputavimus, ut aliquid adderemus de Stoicorum psychologia. Haec vero prae omnibus reliquis philosophiae Stoicae partibus ab historiae scriptoribus tam exiguis curis expedita est, ut fere neglecta dici possit. Cum vero pro toto psychologiae argumento eadem pars etiam Senecae ob minimam quam ad vitam moderandam praebet utilitatem; ne minimi quidem videri posset momenti, ea, quae in schedulis jam elaborata haberem, omittere, quam implicita disputatione, quae breviter absolvi non poterat propter locorum quibus nititur difficultates, libellum nimis augere malui, ne cui aliena viderentur ab hoc loco, quae a Senecae philosophia alienissima esse jure quis dixerit [13]).

---

caeteris autem ep. 71. p. 242. Hoc loco vitium nostrum est, qui, quod dicitur de sapiente, exigimus et a proficiente. Suadeo mihi adhuc ista, quae laudo, nondum persuadeo, etiam si persuasissem, nondum ita parata haberem, ut ad omnes casus procurrerent.

13) Princeps hujus disputationis caput versatur in judicio de eo, quod *τὸ ἡγεμονικὸν* vocant Stoici. Tennemannus (Gesch. d. Phil. IV. p. 61. ss.) verbo Germanico Denkkraft idem reddit; Tiedemannus (Syst. d. St. Phil. II, p. 165.) rationem fuisse putat. Uterque perverse. Ne longior fiat disputatio, locos gravissimos, a quibus judicium de hac re repetendum est, adscribam, quid vero ipse judicem, commodiore, cum aderit, tempore propo-

In tractanda denique parte morali, ad quam nunc jam accedendum est, duplex proponitur quaestio, prior de principiis in agendo, altera de summo bono, quae duo capita ab omnibus philosophis antiquis diligentissima cura examinata sunt, cum prius investigare jubeat eam legem, quae omnibus humanis actionibus proposita esse debeat, alterum, quid bonum sit aut malum, inquirere. Caeterum ab initio praemonendum est, hanc philosophiae Stoicae partem a prioribus, qui eandem examinarunt, melius esse expositam, quam omnes reliquas, qua de causa in iis certe, quae de philosophia Stoica ipsa disputanda supersunt, breviori mihi esse licebit, cum hoc

---

nam. — Plut. de phys. phil. decr. cap. 4, 5, 8, 21 et 23. — Plut. de plac. phil. IV. p. 443. ed. Hutten. — Plut. de Stoic. repg. p. 392., quo loco τὸ ἡγεμονικὸν sejungitur ab anima. — Cic. de Nat. Deor. II. 11. — Sext. Emp. adv. Math. VII. 239. coll. c. VII. 227. ss. — Pyrrh. Inst. I. 128. — II. 70 — III. 188. s. — Diog. Laërt. VII. 157. et 159. cum nota Menagii et VII. 52. cum nota ejusdem. (Notandus tamen est dissensus, quem quidem plane negligit Tennemannus, obtinens inter Diog. Laërt. (VII. 157.) et Stob. (ecl. I. 878.), qui locus omnino prae caeteris est inspiciendus. Octavam enim animi partem non τὸ ἡγεμονικὸν sed τὸ λογιστικὸν dicit, de quo, num idem sit quod illud, quaerendum est.) — Sen. de ira I. cap. 3. p. 8. quo loco etiam animalibus brutis tribuitur τὸ ἡγεμονικὸν. — Cf. et Sen. ep. 71. p. 241. — Stob. ecl. I. p. 332. et p. 878.

loco non desideretur accurata omnium partium descriptio, sed tantum talis expositio, quae, qualis fuerit indoles ethicae Stoicae in universum, illustret.

Ac primo quidem legem istam summam si quaerimus, omnes loci tum apnd Stoicos tum apud Senecam, qui de hac re agunt, ad unam eandemque nos adducunt, quamvis variis vocabulis eam designent. Aperte enim haec lex dicitur recta ratio [14]). Aliis in locis natura vel deus lex vitae nobis proponitur [15]). Haec vero omnia ad idem redire non est quod demonstremus, cum jam supra de eo, quod natura et deus ejusdem notionis varia tantum sint nomina, et de ratione, quae inter mentem humanam et divinam intercedat, satis copiose sit disputatum. Quaenam vero sit ista recta ratio, qua regi debeamus, non difficilius est ad investigandum, si ad ea respicimus, quae supra in conspectu posuimus. Est enim illa nil nisi animi nostri divina pars, quae aliena a terrenis ad altiora nos impellit, et cui inest boni malique cognitio simulque

14) Stob. ecl. P. II. p. 190. — Sen. ep. 62. p. 211.— De ira I. cap. 16. p. 23. — Ep. 41. p. 124. — Ep. 124. p. 132.

15) Stob. l. l. p. 138. — Sen. l. l. et passim.

constitutio. Stoicos vero non ut recentioribus temporibus Kantium rationis humanae legibus ob id ipsum, quia a ratione proficiscantur, obtemperandum existimasse, sed quia eaedem leges divinas simul contineant, hoc ex eo jam colligi potest, quod Stoici post Zenonem idem, quod ille ὁμολογουμένως ζῆν dixerat ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν adpellant[16]), quod, quia notio naturae apud Stoicos simul dei notionem involvit, idem est atque obtemperare legibus divinis. Formulae igitur: convenienter vivere naturae, suae ipsius rationi obtemperare, et parere legibus divinis, apud Stoicos plane idem significant. De eo tantum monendum est, quod, quamvis, ut supra demonstravimus, Seneca eandem rationem vitae honestae facit ducem, tamen pro eo modo, qui inter divinam et humanam mentem ex Stoicorum reliquorum et Senecae sentententiis intercedit, aliqua obtinet diversitas in illa lege. Stoicos enim priores contemplatos esse vidimus animum humanum magis ex ea parte, qua cohaeret et quodammodo unus est cum mente divina. Hinc emanabat ethica siquidem non mere rationalis, quia rationi sejunctae ab omnium rerum opifice deo, non

16) Stob. l. l. p. 134. — Diog. Laërt. VII. 87.

tribuebant auctoritatem, qua leges divinas constituere posset, attamen talis, quae, cum ejus fundamenta sita essent in mente humana pariter atque in divina, ob hanc ipsam arctissimam conjunctionem, reverentia erga rationem humanam magis, quam auctoritate divina nitebatur. Maxime vero erat necessarium hac via diprimi pietatem erga deum et labi religionem, cum fere ridiculum videatur venerari atque publice colere deum, cujus partem te ipsum esse sentias, immo, quem totum ipse in te feras.

Aliter res se habet in Senecae philosophia. Hic enim rationem quae inter deum et mundum hominemque obtinet, magis ex altera parte qua diversi sunt, quam ex ea, qua natura per divinam suam partem conjungitur cum numine, contemplatus est. Itaque aliquando etiam improbat illam, quam toties commendat, formulam Stoicam, qua secundum naturam vivendum sit, multa dicens [17]) secundum naturam esse, quae levia sint et contemnenda, atque id tantum bonum esse adfirmat, quod perfecte secundum naturam sit. Quae quomodo differant non video. Deprehenditur in argutiis Seneca, quibus in erro-

17) Ep. 118. p. 192.

rem impulsus est. Hoc tamen liquet, sensisse eum, interesse aliquid, utrum statuamus naturam an deum esse vitae ducem, ideoque posteriorem, saepius in formula sua nominat, parendum esse diis praedicans. Hinc vero oriebatur ethica, quam religiosam magis dixerim, cum sensim sensimque in contemplanda magnitudine et majestate divina recederet ratio humana, et interpres spiritus potioris quam legislator esse mallet. Hac de causa indoles ethicae Stoicorum gravior est et ut ita dicam rigidior, ideoque quod legis potius quam libertatis forma prodeat, magis ad peccandum invitat, quam indoles philosophiae, quam docuit noster, quae pietatis vinculo virtuti nos alligat [18]), idque eo magis, cum Seneca rationem inter deum et homines patris et filiorum esse vellet [19]), et hoc modo amori, qui Stoicorum systemate fere eradicatur, locum relinqueret. In hujus sententiae testimonium instar omnium unum tantum adferam locum, quem auctoris ipsius verbis reddere, quam aliis circumscribere malo ullis, quippe quae nunquam simplicitatem et venustatem illorum

18) Ep. 16. p. 50. Haec (philosophia) adhortabitur ut deo libenter pareamus, haec docebit ut deum sequaris.

19) Cf. supr.

adtingerent. Quando omnia, scribit[20]), quae praestanda sunt ac vitanda, dicam, cum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est; membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit; illa aequum justumque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere quam laedi; ex illius imperio paratae sunt juvantis manus. Iste versus et in pectore et in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum esse puto. Habeamus! In commune nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quae casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur[21]). Haec sine commentario allata sint, et monuisse sufficiat, hoc modo Senecam multo áliter judicasse de ratione, quae inter singulos et universos obtineat, quam Stoicos. Itaque igno-

---

20) Ep. 95. p 70.

21) Cf. et ep. 9. p. 23. s. quo loco probatur, Senecam bene mente cogitasse amoris naturam, et tantum, ne nimium videretur dissentire a Stoicis, defendere placitum, quo sapientem secum contentum esse doceant, quamvis ex altera parte melius de ea cogitasse quam sensisse videatur. (cf. ep. 63. quam non cum Schweighaeusero perpulchram sed permediocrem dixerim, excepto fine.)

scendum ille dicit errantibus [22]). Idem vetant Stoici [23]). Quod quidem non leve est, quamvis etiam ex iis consequatur, quae de cognitionis humanae finibus utrisque placebant.

Principia igitur utriusque ethicae per se quidem spectata eadem sunt, cum utrumque contineat leges rationis humanae et dei simul; modus vero, quo ingenio humano in conspectum dantur, diversus est, quam diversitatem non nihili facere possumus, cum ab illa magna ex parte pendeat vis, quam in vita moderanda exhibere possunt principia illa. Ea enim est natura animi humani, ut eadem, quae lege coactus aegre tantum peragat, libenter faciat, si vis interna, quae eum ad agendum impellit, non in lege aliqua sed in libertate animi rationalis posita esse videtur. Et hanc rem ita esse, si pietatem erga deum, qui sane summus est libertatis actus simulque necessitatis, omnium actionum fontem esse volumus, si non sua sponte quisque videt, historiam omnium populorum et temporum testem habemus, etiam in ethica, siquidem in vita moderanda vim suam exhibere illa velit, philosophiam semper cessisse religioni, cujus

22) De ira I: cap. 14.
23) Stob. ecl. P. II. p. 190. — Cic. pro Mur. c. 29.

rei causa mihi quidem haec fuisse videtur, quod, dum imperat philosophia, religio leniter eodem nos ducit; cogere vult illa lege proposita, vincit haec libertate; per legem illa ducere vult ad legem observandam, haec per libertatem ad libertatem ipsam. Quamvis ego non contenderim, Senecam ipsum cognovisse discrimen illud gravissimum, quod obtinet in eodem principio, prouti ex philosophiae vel pietatis ratione spectetur, tamen eum excepisse summum illud principium magis ex ea parte, qua religionis est, ex omnibus iis luculentissime adparet, quae in ejus scriptis passim de pietate erga deos et de religione disputantur. Ubique enim pietatem erga deum veluti signum boni viri describit [24]), deosque credere primum deorum esse dicit cultum [25]). Idem vero etiam intellexit, libertatem et virtutem non esse diversas, quippe qui cum ex altera parte virtutem dixisset esse summum bonum [26]), ex altera libertatem proponit [27]) veluti praemium ad quod laboretur,

---

24) Sen. ep. 76. p. 271. et passim in locis quibus de pietate agit.

25) Ep. 95. p. 70.

26) Cf. infr.

27) Ep. 51. p. 151.

et nihil honestum esse [28]) contendit, quod a coacto fiat, cum omne honestum voluntarium sit, et quidquam honestum esse negat, quod non sit liberum [29]). Immo hominem, quem reliqui Stoici seduxerant quodammodo e societate hominum et deorum placito de *αὐταρκείᾳ* [30]), humanitati reddit [31]), bene intelligens ac pulchre describens [32]) nexum, qui inter singulos et universum obtineat arctissimus, ita ut sapientem ne victurum quidem esse contendat [33]), si fuerit sine homine victurus. Nihil vero contra nos facit si Lucilio adclamat [34]): Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Vocabulum enim multitudo explicatur ep. 7. et 8. Subsequentia vero demonstrant, in reliquis Senecam nonnunquam elegantiae erga Lucilium quam

28) Ep. 66. p. 207. et 208. Omne honestum injussum incoactumque est.

29) Cf. et ep. 88. init. et ep. 37. p. 114.

30) Diog. Laërt. VII. 123.

31) Sen. ep. 9. init. Hic enim non de *ἀπαθείᾳ* sed de *αὐταρκείᾳ* sermonem esse, et Senecam utramque, quae non nisi finitimae sunt, inter se permutasse, leviter tantum inspicienti hunc locum facile liquet. Ita vero disputat noster, ut magis defendere Stoicorum placitum et explicare velit, quam probare.

32) Ep. 95. p. 70. s.

33) Ep. 9. p. 26.

34) Ep. 10. init.

veritatis philosophicae fuisse studiosiorem. Nec illud sententiae nostrae repugnat, quod toties jubet Lucilium recedere ex occupationibus forensibus ac publicis [35]). Nam illa non erant amoris ergá reliquos sed tantum superbiae et ambitionis. Recte igitur hoc discrimen statui mihi posse videtur inter summum principium Stoicorum et Senecae, quod illi, dum unitatem dei et humani animi magis respiciunt, omnia officia ita describunt, ut sint officia erga nos ipsos; Seneca contra diversitatem et rationem inter animum humanum et creatorem omnesque res creatas ex illa ortam magis respiciens, omnia officia non esse nisi erga deum [36]) hominesque [37]) velit. Ex Stoicorum igitur sententia vitae humanae est finis excoli et ad perfectionem suam duci animum humanum. Altior est contemplationis locus, in quem Seneca progressus est, quippe qui hoc non nisi inferius aliquid esse putavit [38]), cui non adferatur dignatio, nisi cognoveris, hoc solum esse, quo bene locus ac di-

35) Ep. 19. — Ep. 22. — Ep. 17. — Ep. 36. et passim.
36) De prov. cap. 5. p. 240. s.
37) Ep. 48. p. 142. — De ira I. cap. 5. init. Homo in adjutorium mutuum generatus est. — Beneficiis humana vita consistit et concordia.
38) Nat. Q. Praef. p. 7.

gniter teneri possit, a mundi opifice cuique in omnium rerum ordine adsignatus, et humanitatem universam ad perfectionem evehi non posse, nisi quisque pro sua facultate non tantum ac primo se ipsum excolat et perficiat, sed maxime etiam reliquorum animos. Itaque ex una parte Lucilium toties impellit ut se sibi vindicet [39]), atque suum fieri jubet [40]), quia hac tantum ratione vita emendari possit, qua sola sapiens sapientiam demonstret atque reliquis amabilem reddat, cum longum sit iter per praecepta, breve et efficax per exempla [41]). Ex altera vero parte e multis locis intelligitur, Senecam tum demum bene constitutam putasse vitam humanam, si illa ad emendandos beandosque reliquos spectet. Dicit enim [42]) ob hanc ipsam causam habitum decorum esse debere philosopho, ne, quos emendari velit, avertat, immo se rejecturum sapientiam, si sine usu daretur et cum exceptione ut illam inclusam teneat nec enunciet [43]). Nec in hoc, inquit [44]), te arcesso,

39) Ep. 1. init.
40) Ep. 20. init. — Ep. 35. p. 110. Propera ad me, sed ad te prius. — Et passim.
41) Ep. 6. p. 15.
42) Ep. 5. p. 12.
43) Ep. 6. p. 14.
44) L. l. p. 15.

ut proficias sed ut prosis [45]). Ea vero, quam religiosam diximus philosophiae Senecae indolem, talis esse docetur non minus cogitationibus, quas conceperat de deo et de homine atque ratione inter omnes res creatas intercedente, supra expositis, quam locis, quibus sapienti quoque commendat religionem et vota, quibus bona quaedam rogentur a diis [46]), simulque invehitur in vota stulta [47]), cum Stoicis, si sibi constare volebant, omnia vota stulta videri deberent, quia secundum eos sapientis pietas, quam quidem illi tribuebant, in sola rationis lege observanda conspiciebatur [48]).

His de summis principiis expositis transeundum est ad ideam summi boni. Summum bonum non aliud esse potest nisi id, ad quod summum principium nos ducit. Haec igitur quaestio arctissime necessario conjuncta est cum antecedenti, et jam nunc colligere licet ex iis, quae de illo exposuimus aliquam diversitatem esse in Stoicorum et Senecae pla-

45) Cf. et ep. 7. p. 17. s. — Ep. 8. init. — Ep. 9. p. 26. Sapiens non vivet si fuerit sine homine victurus, — Ep. 85. p. 333.
46) Ep. 10. p. 29.
47) Ep. 60.
48) Diog. Laert. VII. 119.

citis, quamvis tum illi[49]), tum hic [50]) convenientiam veluti summum bonum proponant; quod homini petendum sit. Haec vero convenientia erat duplex. Erat enim convenientia tum voluntatis humanae cum ratione humana, et hanc quidem pro iis quae supra enarravimus, Stoici priores magis respexerunt, tum vero etiam convenientia voluntatis humanae cum voluntate divina, quam rationem magis recepit Seneca[51]). Utramque quoad finem omnibus hominum actionibus propositum eandem esse, distare vero, si ad principia agendi respicimus, quae cuique actioni suum pretium constituant, non est quod iterum moneamus. Simul ex his liquet hanc convenientiam ob id ipsum, quia summum sit bonum, simul esse unum ac solum [52]) bonum mentis humanae, atque optabile [53]), neque diversam ab eo, quod aliis in locis sapientiam dicit Seneca vitae finem

49) Stob. ecl. II. p. 138. — Cic. de fin. III. 6.

50) Ep. 20. p. 62. Sapientia est semper idem velle atque idem nolle. — Ep. 35. p. 110. Profice, et ante omnia hoc cura, ut constes tibi. — Cf. et ep. 52. init., qua inconstantia stultitia esse docetur et locos supra laudatos.

51) Ep. 76. p. 271. Unum illi (viro bono) bonum erit, quod honestum; in hoc enim est et parere diis, — sed patienter excipere casum et facere imperata.

52) Ep. 71. p. 235. — Ep. 66. tota.

53) Ep. 67. p. 218.

propositam[54]). Summum vero hoc bonum, si iterum altera ad idem accedit convenientia, scilicet si convenit inter voluntatem et vitam, id est, si in agendo actiones nunquam non ex voluntate ad bonum propensa proficiscuntur, proprium atque habitus fit mentis humanae[55]), et tum virtus est ex una parte, ex altera vero felicitas, qui fructus philosophiae est extremus[56]). Itaque apud Ciceronem[57]) virtus ex Stoicorum sententia ita describitur, ut sit adfectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, sejuncta etiam utilitate laudabilis, cum qua descriptione bene convenit alia apud Stobaeum[58]), qua virtus dicitur διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὑτῇ περὶ ὅλον τὸν βίον, neque repugnat, si aliis in locis actiones non perfectione recta, sed perceptione prima judicandae esse docentur[59]).

54) Cf. supr.

55) Dicit igitur Seneca ep. 66. p. 211.: Virtus non aliud quam recta ratio est.

56) Ep. 16. p. 49. Plus operis est in eo, ut proposita custodias, quam ut honesta proferas. Perseverandum est et adsiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. — Ep. 75. p. 262. Quod loquimur sentiamus; concordet sermo cum vita. — Non est beatus qui scit illa, sed qui facit. — Ep. 20. p. 61. Verba rebus proba etc.

57) Tusc. Q. IV. 15. — Acad. I. 10.

58) Stob. ecl. II. 104.

59) Cic. de fin. III. 9.

Seneca vero disertis verbis eam, quam attulimus, probat virtutis descriptionem. Summum bonum enim esse demonstrat honestum [60]), quod simul sit virtus [61]), eademque ratio perfecta [62]). Haec vero etiam lucem adferunt iis, quae supra de sapientiae notione disputavimus, indeque invicem illustrantur. Cum enim hic ratio perfecta doceatur esse summum bonum, sponte liquet, Senecam l. l. tum de sapientiae idea, tum de sapientia, quae in vita consentanea conspiciatur, sermonem instituere, atque virtutem idem significare, quod alibi sapientia dicatur. Ratio enim perfecta summum est bonum, quod nobis proponitur, eademque virtus, si perfecta ratio in animo nostro est, atque hoc modo animi fit status et quodammodo rectrix vitae. Igitur virtus non minus quam sapientia ita describitur, ut ea sit aliorum scientia et sui [63]).

Non minus vero Stoici priores et Seneca in eo consentiunt, quod summum bonum non tantum virtutem sed etiam felicitatem amplecti

60) Ep. 76. p. 267. ss.

61) Ep. 71. p. 238. s.

62) Cf. ep. 66. p. 204. s. — Ep. 71. p. 242. — — Cito hoc potest tradi, et paucissimis verbis: Unum bonum esse virtutem, nullum certe sine virtute, et ipsam virtutem in parte nostri meliore, id est rationali positam.

63) Ep. 95. p. 72.

adfirmant. Fundamenta hujus placiti sita sunt in iis, quae utrique de numine et de conjunctione numinis cum animo judicarunt. Cum enim statuissent animum humanum divini spiritus esse partem, necessarium erat, ut, cum deo tribuissent summam perfectionem simulque summam felicitatem [64]), etiam in homine convenientiam mutuam utriusque esse existimarent. Itaque passim gaudium et hilaritas ut certissima sapientiae describuntur signa [65]), iisque talis tribuitur natura, quae non interrumpatur, non desinat [66]). Neutrum enim excludere poterant, quia in deo pugnantia secum esse non possunt. Utrumque igitur ita conjunctum existimari oportuit, ut aut idem esset, aut certe utrumque ab utroque penderet [67]). Cum enim in convenientia summum posuissent bonum, haec vero convenientia pro totius systematis Stoici ratione, praesertim vero e Senecae placitis, nil esset nisi adpropinquatio ad numen ipsum [68]), fieri non

64) Diog. Laërt. VII. 147. — Plut. de phys. phil. decr. I. cap. 7. — Stob. ecl. I. p. 64. — Sen. ep. 92. p. 30. — Ep 59. p. 187.

65) Ep. 59. p. 186. — Cf. et locos infra adferendos, quibus felicitas veluti summum bonum proponitur.

66) Ep. 59. p. 187.

67) Ep. 23. tota. — Ep. 27. p. 88. Sola virtus praestat gaudium perpetuum.

68) Cf. supr.

potuit, quin in hac unitatem virtutis et felicitatis agnoscerent 69), quam praeterea ex utriusque natura haud inepte demonstrabant 70), quamque prae caeteris Seneca eo magis statuere debebat, cum summum ethicae principium maxime in amore erga deum positum esse diceret 71), cujus summus gradus est plane conjungi cum deo. In amore vero simul summam felicitatem esse et summam perfectionem quis est qui neget, nisi hebetioris ingenii aut amoris expers? Vindicari igitur facillime potest philosophia Stoica ab illo, quod saepius opprobatum ei est, scilicet, quod parum respexerit animi humani naturam ac studia, et hominem eduxerit e finibus, quibus ab ipso numine septus sit, philosophiam vero moralem exstruxerit animantibus mere rationalibus neque tamen hominibus aptam. Seneca saltem, si idem fortassis majore jure de reliquis dici concedamus, sicuti omnibus suis placitis ab hac criminatione defenditur, disertis etiam verbis saepe testatur, hoc alienissimum esse

69) Ep. 9. p. 27. Nisi sapienti sua non placent. Omnis stultitia laborat fastidio sui. — Ep. 16. p 48.
70) Stob. ecl. II. p. 138. — Diog. Laërt. VII. 88.
71) Ep. 95. p. 70. — Cf. et supr.

a consilio suo. Dicit enim aperte[72]), se non educere sapientem ex hominum numero, et inprimis in quaestione de summo bono ita versatur, ut praedicet, se non id quaerere, quod omnino sit bonum, sed quod sit hominis bonum[73]). Idem luculentius adparebit in iis quae postea de adiaphoris disputanda erunt. Ex altera vero parte non difficilior est defensio philosophi nostri, si quis eum ignobili philosophorum gregi adscribere velit, quibus felicitas sejuncta ab honestate summum est bonum. Quamvis enim non desint loci, quibus noster re vera id summum bonum dicit, quo uno beati fiamus[74]), tamen non minus iniquum esset contendere, Senecam non satis curiose spectasse dignitatem naturae humanae, quia omnia fere praecepta sic proponat, ut simul demonstret iis neglectis, vitam tanquillam et placidam esse non posse[75]), quam colligere e locis fere innumeris quibus virtus summum atque unum expetendum bonum dicitur, eundem neglexisse felicitatis stu-

72) Ep. 71, p. 241.
73) Ep. 76. p. 268.
74) L. l. p. 269. — Ep. 44. p. 130. Si quid est quod beatam vitam potest facere, id bonum est suo jure.
75) Ep. 2. p. 9. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. — Ep. 6. p. 13. et passim.

dium animo humano pariter ac virtutis insitum. Felicem qui neutram ab altera, ratione ulla, sejungi posse sibi persuasum habet, neque iis adscribi potest, quos Seneca ad gaudium quidem tendere dicit, sed unde stabile et magnum consequantur, ignorare [76]).

Vix est quod disputemus de eo, quod virtus et felicitas cum hac conjuncta, cum ea non certis quibusdam temporibus spectetur, sed permanens sit animi nostri status non sit nisi una eaque simplex, in quo Stoici reliqui et Seneca plane consentiunt [77]). Haec enim est, quae omnibus nostris actionibus substrata, laudabiles eas reddit [78]). Deinde vero non difficile est intelligere, Stoicos tamen de variis virtutibus sermonem instituere potuisse pro variis modis, quibus sensus honestus in agendo se exhibere possit.

---

76) Ep. 59. p. 186. s.

77) Cic. Acad. I. 10. — De fin. III. 6. — Stob. ecl. II. p. 90. — Sext. Emp. adv. Math. XI. 30. — Sen. ep. 76. tota, et passim.

78) Ep. 66. tota, in qua legitur longa de summi boni et summi principii unitate disputatio. — Nihil vero contra nos facit ep. 118. p. 192, ubi de discrimine inter bonum et honestum, quae eadem esse saepissime demonstrat noster, disputatur. Ibi enim non est sermo de summo bono sed de bonis quae fiant, si ad res medias sensus honestus accedat. Cf. infra.

Virtutes autem omnes et vitia paria esse[79]), ex iisdem, quae modo notavimus, facillima conclusione efficitur. Cum enim Stoici dixissent, summum bonum unum esse, neque imminui, neque crescere posse, cum illud sit absoluta perfectio animo nostro proposita, virtuti atque felicitati necessario idem accidere adfirmabant, quippe quae nullo modo distent a summo bono ipso. Omnes vero actiones ex Stoicorum rationibus non judicandae sunt, nisi perceptione prima[80]), et haec originem trahit ex voluntate aut ad bonum, aut ad malum propensa, quae propensio in omnibus actionibus aeque est laudabilis aut vituperanda. Inde vero facillime colligitur, omnibus actionibus honestis parem laudis, malis omnibus parem vituperationis partem tribuendam esse, cum actio non sit nisi quodammodo materia, in qua animus rectus aut perversus se manifestet. Hoc vero placitum quamvis primum inspicienti inter paradoxa referendum videri possit, tamen fortassis minus absurdum videbitur, si prius intel-

79) Ep. 66. p. 205.

80) Cic. de fin. III. 9. Sic ea quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione recta sunt judicanda. — Similem sententiam cf. apud Schleiermacherum: Monologen.

lexerimus, qui sensus ex reliquis Stoicorum praeceptis subesse ei existimandus sit. Id certe demonstrari posse non dubito, male agere cum Stoicis, neque satis intelligere quid sibi voluerint placito isto, qui existimet illos pari poena dignum putasse eum, qui aliquando voluptati magis indulgeat, et alterum, qui patrem occiderit, neque majore laude eum, qui vita vitam patris redimat, quam qui ex opibus aliquid conferat ad erigendas egeni res adflictas. Hoc enim mox in exponendis iis, quae de adiaphoris dicenda supersunt conspicietur, ad quorum analogiam Stoici etiam actiones distribuisse mihi videntur.

Sed etiam ex hac parte Stoicos et Senecam conspirasse, tum ex convenientia, quae inter utrosque in placitis de summo bono obtinet facile est ad dijudicandum, neque difficilius ad probandum testimoniis apertis. Cum enim rei necessitate coacti, separata hominis vita mere rationali quodammodo ab animali, neque satis diligenter perspecta ratione, quae inter utramque interveniat, eo semel inducti essent, ut non statuerent nisi unum bonum, idque simplex, atque in virtute et felicitate cum hac conjuncta positum, non poterant quin etiam non esse existimarent nisi malum unum, idemque ex omnibus solum vitandum,

quod in vitio atque in vitae perversa moderatione conspiciatur. Erat hic fructus dilacerationis, ut ita dicam, rei minime dissecandae, qua, qui unus et animus humanus divellebatur in partes, quod non tantum in contemplatione sed etiam in vita moderanda apud Stoicos valuit. Optime enim perspiciebant Stoici, se alteram animae humanae partem, qua terrenis adscripti simus, quaque non tantum felicitatem ex virtute oriundam, sed etiam aliam, sine dubio minoris faciendam, attamen naturae humanae non repugnantem, immo ab hac ipsa necessario expetitam, desideret, omnino fere neglexisse. Supererant omnia ista, quae, etiamsi virtutis magnificentiam nullo modo aequare poterant, tamen ad vitam bene beateque aut secus agendam, degentibus in terra non poterant nullius momenti existimari; neque deerant alia, quae nulla ratione, etiam, si accedat sensus honestus, honeste facta sint, aut quae potius honestatem plane non ad se admittant. Inde haud dubie ortum est celebratum illud atque, ut mihi quidem videtur, saepe non satis bene judicatum de adiaphoris placitum. Num tales res mediae actionesque ejusdem generis statui possint in philosophia morali, non est quod hac disputatione quaeramus. Sit satis monuisse Stoi-

corum res medias neque philosophiae neque naturae humanae repugnare. Jam e modo, quo Stoicos verisimiliter eo adductos esse docuimus, ut adiaphora esse statuerent, facillime colligere licet, quid illa iis fuerint. Media enim non dicuntur nisi quae ad vitia et ad virtutem nihil intersint [81]), cum homo etiam sine illis felix et cum illis infelix esse possit [82]). Plane cum his consentiens Seneca id autem, dicit [83]), medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere quam bono possit, tanquam pecunia, forma, nobilitas [84]). Haec omnia ex ea parte, qua ad virtutem adtingant paria esse, sponte liquet et Seneca multis demonstrat [85]). Similiter ea quae vulgo in malis habeantur mala non esse demonstrantur [86]), neque paradoxum illud est, quod Seneca et omnino Stoici viro bono nihil mali accidere posse contendebant [87]). Inde vero minime efficitur, ob hanc causam adiaphora illa sapienti adpetenda aut fugienda non esse, quod tum Stoici, tum Se-

81) Cic. Acad. I. 10. — De fin. III. 25.
82) Diog. Laërt. VII. 104. — Stob. ecl. II. p. 142—144.
83) Ep. 117. p. 182.
84) Cf. Diog. L. VII. 102. et 103. — Stob. l. l. p. 166.
85) De prov. cap. 5. init. — Ep. 66. tota.
86) De prov. cap. 3. p. 231. ss.
87) De prov. cap. 6.

neca illi concesserunt, dummodo studium, quo ista media adsectemur, subjectum sit atque moderatum virtutis studio. Igitur Seneca non dubitat argenti indictum odium in ea referre, quae ambitionem perversa via sequantur [88], et auro argentoque caruisse frugalitatis indicium esse negat; immo contra naturam esse dicit, torquere corpus suum et faciles odisse munditias, atque verbis apertis praedicat, quemadmodum desiderare delicatas res luxuriae sit, ita usitatas et non magno parabiles spernere, dementiae esse, cum temperanda sit vita inter bonos mores et publicos. Verum etiam non minus Stoicis quam Senecae probatum esse hoc de rebus mediis judicium, ex iis facillime liquet, quae de ipsis adiaphoris placebant utrisque, in quibus non minor quam in reliquis est consensus. Distinguebant enim Stoici inter ista media, ita ut eorum alia dicerent eligenda, alia rejicienda, alio omnino negligenda et vere media [89]). Priora esse dicebant ea, quae essent secundum naturam, altera quae naturae contraria, tertia denique, quae his ipsis interjecta [90]). Hanc triplicem

88) Ep. 5. p. 11.
89) Cic. de fin. III. 25.
90) Cic. Acad. I. 10. — De fin. l. l. — Diog. Laërt VII. 104. et 105. — Stob. ecl. II. p. 142.

vero bonorum conditionem etiam a Seneca probatam esse ipse testatur [91]), luculenter disputans de eo, quomodo possint paria esse bona, si triplex eorum sit conditio, et omnium trium generum exempla adferens. Simul inde liquet, quomodo Stoici optabilia (προηγμένα) rursus in ea quae magis et quae minus sint adpetenda, vitanda (ἀποπροηγμένα)[92])

91) Ep. 66.

92) Tota haec disputatio de rebus mediis et de actionibus iis similibus cum jam scripta esset, indicerunt in manus quae Goerenzius (Excurs. I. ad Acad. I. 10.) de re proposita conscripsit. Quibus cum firmata magis quam fracta videretur mea sententia, nihil mutandum putavi, nec quidquam omittendnm ex iis, quae mecum disputassem, praesertim cum jure me discessisse ab illo persuasum mihi sit in eo, quod ἀποπροηγμένα iis potius, quae sint contra naturam, adnumeranda putavi, quam iis, quae sint secundum naturam, et minus tantum adpetenda. Favent mihi, quod ipse vidit ille, Cicero (de fin. III. 15.) Sext. Emp. (adv Math. XI 62 quo loco τὰ ἱκανὴν ἀπαξίαν ἔχοντα opponuntur τοῖς ἱκανὴν ἀξίαν ἔχουσι), Stobaeus (ecl. II. p. 174 πολλὴν ἀξίαν ἔχοντα et πολλὴν ἀπαξίαν ἔχοντα), atque Diog. Laërt. (VII. 108. τὰ ἔχοντα ἀξίαν et τὰ ἀπαξίαν ἔχοντα). Locus vero ille Ciceronianus, qnem Goerenzius excursu modo laudato bene illustrat, eodem modo intelligi potest, quo intelligendum censet Goerenzius, neque opus est hanc ob causam, ut apertis tot tantisque repugnemus testimoniis Sine dubio enim rejecta illo loco sunt in iis, quae secundum naturam sint, non tamen ideo ἀποπροηγμένα. Cf. de fin. III. 17. quo loco Cicero, etsi in prioribus (l. l. cap. 15.) ἀποπροηγμένα iis quae contra naturam sint, adnumerat, tamen ex iis, quae secundum naturam quidem sed minoris aestimationis sint, dicit rejicienda.

vero in ea quae minus et quae magis sint fugienda distribuere potuerint[93], et quomodo a Soicis et a Seneca, quamvis utrique non statuant nisi unum bonum, tamen etiam eae res mediae, quae optabiles sint, in bona referantur, cum etiam ex illorum sententia haec vera fiant bona, si virtuti conjuncta sint; ita ut Seneca non dubitet secernere adeo bonum ab honesto, ut hoc sit idem, quod alibi summum bonum dixerat, scilicet perfectum bonum[94]), quo beata vita compleatur, cujus contacta alia quoque bona fiant, aliter neque bona neque mala, quae vero cum honeste administrata sint bona esse incipiant, et ex dubio in bonum transeant, bonum contra societate honesti fiat et fluat ex illo. — Quamvis autem haec omnia optima essent ad substruendam ethicam, tamen et concedamus necesse est, hanc de bonorum aestimatione doctrinam magis in systemate quam in vita Stoicorum locum obtinuisse, in qua natura humana, invita e jure suo ejecta, in idem restitui voluit. Inde fit ut Senecam, quamvis hic non corporis doloribus, quos tamen per-

---

93) Cf. Cic. Acad. I. 10. — De fin. III. 15. et 17. — Diog. Laërt. VII. 104. et 105. ec 108. — Sext. Emp. l. l. — Stob. l. l. et p. 154. et 156.

94) Ep. 118. p. 192.

pessum eum esse acerrimos constat, eo movebatur, ut dolorem malum esse concederet, quod quidem concessisse Heracleotam illum Dionysium Stoicum Cicerone teste scimus [95]), tamen saepissime sermonem instituere videamus de bonis quae malo, et de malis quae bono contingere possint [96]). Nec desunt loci, quibus defunctos jam ob id ipsum felices praedicat, quod vitae terrenae mala effugerint [97]), immo aperte dicit [98]): Si velis credere veritatem altius intuentibus, omnis vita suplicium est. — Lacrimae nobis deerunt ante, quam causa dolendi. — Tota vita flebilis est [99]), et quae sunt plura, quae fere innumera queritur.

His de rebus mediis expositis transeundum est ad actiones, quas Stoici, ut supra innuimus, ad illarum analogiam distribuisse mihi videntur. Primo enim partiebantur illas in eas, quae rationi sint consentaneae (καθήκοντα), earumque contrarias (ἁμαρτήματα) [100]). Καθῆκον, quamvis a Cicerone vocabulo officium reddatur, non id significare, quod nos Pflicht dici-

95) Tusc. Quaest. II. cap. 24.
96) Ad Marc. cap. 22.
97) Ad Polyb. 27. et 28. — Ad Marc. cap. 28.
98) Ad Polyb. cap. 28.
99) Ad Marc. cap. 10. p. 195. — Ibid. cap. 11. et 17.
100) Stob. ecl. II. p. 158. — Diog. Laërt. VII. 108.

mus, jam bene perspexit Tennemannus [1]). Sed non alia aderat vox in lingua Latina, qua uti potuisset Cicero ad designandum Graeoorum καθῆκον. Quid enim significaverit hac voce probe declaravit [2]), officium dicens medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Itaque καθήκοντα sine dubio nihil erant nisi facta licita [3]), quae scilicet bona fiant, si accedat honestas, sine qua vere sint adiaphora, aut mala si ex animi perversitate ac perceptione mala proficiscantur [4]). Plane igitur respondent rebus mediis, quae optabiles sunt, aut vere mediae aut fugiendae. Consequitur illa καθηκόντων notio ex eo, quod Stoici rursus distinguebant inter καθήκοντα τέλεια et καθήκοντα μέσα, quorum priora eas actiones designant, quae sensu honesto accedente bonae fiant, posteriora nec bonae sint, nec malae, sed mediae [5]). Magis vero probatur nostra sententia eo, quod praeterea etiam

1) Gesch. d. Phil. Tom. IV. p. 92.
2) Cic. de fin. III. 17.
3) Stob. ecl. II. p. 158.
4) Cic. de fin. III. 17. — De offi. I. 3. — Diog. Laërt. VII. 107. — Inde explicatur etiam, quomodo Laërtius (VII. 109) καθήκοντα distribuere potuerit in περιστατικὰ καὶ ἄνευ περιστάσεως.
5) Stob. ecl. II. p. 158. — Cic. de fin. III. 17. — De offic. I. 3.

distinguebant actiones laudabiles a licitis [6]), illasque proprio nomine significabant, κατορθώματα eas dicentes, quae nullae sunt, nisi quae etiam καθήκοντα τέλεια ab iis adpellabantur [7]). Latior itaque est notio καθηκόντων quam κατορθωμάτων, ita ut quodque κατόρθωμα etiam sit καθῆκον, non καθῆκον quodque etiam κατόρθωμα. Κατορθώματα igitur originem trahunt e studio, quo summum bonum adpetimus [8]), καθήκοντα μέσα vel omnino καθήκοντα e studio rerum externarum atque mediarum, pravae tandem actiones e perversitate animi, qua malitiae indulgemus. Inde vero liquet, totum hoc placitum perperam esse explicatum a Tiedemanno [9]), qui gravissimis erroribus decipitur, et ob id ipsum Stoicos, Ciceronem et Diogenem errasse contendit male abusus locis iisdem, quos ad nostram sententiam firmandam attulimus.

In hac vero similitudine, quam in deducendo bono et malo et in actionum singula-

6) Stob. l. l.

7) Stob. l. l. p. 194. Τῶν καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια, ἃ δὴ κατορθώματα λέγεται.

8) Stob. l. l. Κατόρθωμα δὲ εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ἐνέργημα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν· οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα, ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προσαγορεύουσιν, ἀλλὰ μέσα οἷον τὸ γαμεῖν etc. — Cf. et Diog. Laërt. VII. 108.

9) Syst. d. Stoisch. Phil. III. p. 299. ss.

mus, jam bene perspexit Tennemannus [1]). Sed non alia aderat vox in lingua Latina, qua uti potuisset Cicero ad designandum Graecorum *καθῆκον*. Quid enim significaverit hac voce probe declaravit [2]), officium dicens medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Itaque *καθήκοντα* sine dubio nihil erant nisi facta licita [3]), quae scilicet bona fiant, si accedat honestas, sine qua vere sint adiaphora, aut mala si ex animi perversitate ac perceptione mala proficiscantur [4]). Plane igitur respondent rebus mediis, quae optabiles sunt, aut vere mediae aut fugiendae. Consequitur illa *καθηκόντων* notio ex eo, quod Stoici rursus distinguebant inter *καθήκοντα τέλεια* et *καθήκοντα μέσα*, quorum priora eas actiones designant, quae sensu honesto accedente bonae fiant, posteriora nec bonae sint, nec malae, sed mediae [5]). Magis vero probatur nostra sententia eo, quod praeterea etiam

1) Gesch. d. Phil. Tom. IV. p. 92.
2) Cic. de fin. III. 17.
3) Stob. ecl. II. p. 158.
4) Cic. de fin. III. 17. — De offi. I. 3. — Diog. Laërt. VII. 107. — Inde explicatur etiam, quomodo Laërtius (VII. 109) *καθήκοντα* distribuere potuerit in *περιστατικὰ καὶ ἄνευ περιστάσεως*.
5) Stob. ecl. II. p. 158. — Cic. de fin. III. 17. — De offic. I. 3.

distinguebant actiones laudabiles a licitis [6]), illasque proprio nomine significabant, κατορθώματα eas dicentes, quae nullae sunt, nisi quae etiam καθήκοντα τέλεια ab iis adpellabantur [7]). Latior itaque est notio καθηκόντων quam κατορθωμάτων, ita ut quodque κατόρθωμα etiam sit καθῆκον, non καθῆκον quodque etiam κατόρθωμα. Κατορθώματα igitur originem trahunt e studio, quo summum bonum adpetimus [8]), καθήκοντα μέσα vel omnino καθήκοντα e studio rerum externarum atque mediarum, pravae tandem actiones e perversitate animi, qua malitiae indulgemus. Inde vero liquet, totum hoc placitum perperam esse explicatum a Tiedemanno [9]), qui gravissimis erroribus decipitur, et ob id ipsum Stoicos, Ciceronem et Diogenem errasse contendit male abusus locis iisdem, quos ad nostram sententiam firmandam attulimus.

In hac vero similitudine, quam in deducendo bono et malo et in actionum singula-

6) Stob. l. l.

7) Stob. l. l. p. 194. Τῶν καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια, ἃ δὴ καθορθώματα λέγεται.

8) Stob. l. l. Κατόρθωμα δὲ εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ἐνέργημα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν· οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα, ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προσαγορεύουσιν, ἀλλὰ μέσα οἷον τὸ γαμεῖν etc. — Cf. et Diog. Laërt. VII. 108.

9) Syst. d. Stoisch. Phil. III. p. 299. ss.

rum aestimatione apud Stoicos conspicimus, fortassis et placito illi celebri, quod omnia laudabilia et secus facta paria sint [10]), aliquid de paradoxo, quod primo adspectu illi inest, detrahi poterit, etiamsi non adsint loci, quibus aperte leniatur. Adest quoque placitum, quo omnia bona paria esse dicuntur; attamen diversitatem esse in tanta quae negari non potest aequalitate, vidimus. Similiter statuendum mihi videtur, Stoicos, quamvis peccata et bene facta omnia paria esse existimaverint, tamen in his quoque discrimen aliquod concessisse [11]), cum in illis alia malitia et propenso ad malum animo, alia imbecillitate magis fundantur humana, in his vero alia naturae humanae tum ex rationali tum ex animali parte aeque sint consentanea, alia destituta illa hac convenientia, immo saepe pugnam difficillimam et gravissimam cum parte animali desiderent [12]), ita ut de omnibus actionibus id fere valeat, quod ipse de beneficiis dicit Seneca [13]): Multum interest, utrum ali-

10) Stob. ecl. II. 220. — Cic. pro Mur. cap. 29. — De fin. III. 14. — IV. 20. et 27. — Parad. III. 1.

11) Stob. ecl. II. p. 218. "Ισα δὲ λέγουσι εἶναι πάντα τὰ ἁμαρτήματα, οὐκ ἔτι ὅμοιά etc. — Cic. de fin. IV. cap. 27. et 28. — Parad. III. 2.

12) Cf. Tennemann. Gesch. d. Phil. IV. p. 141. ss.

13) Sen. de benef. VI. 12.

quis beneficium nobis det sua causa, an nostra, an sua et nostra.

Jam reliquum est ut paucis examinemus quomodo generalis haec, de qua diximus, pars a Stoicis et a nostro ad vitam relata sit, quomodo utrique praecepta specialia ad moderandam vitam inde deduxerint, et virtutes singulas e summo bono derivaverint. Brevissime de his exponere nobis licebit, tum, quia ipsi Stoici minorem in hanc partem impenderunt operam [14]), quamvis iidem primi virtutum singularum deductionem tentarunt [15]), tum, quia positis generalioribus istis, reliqua sponte fere subsequuntur, tum denique, quia ea, in quibus Seneca et Stoici ex hac parte inter se discrepant, minora sint, necesse est, quam in reliquis, cum in principiis generalibus ipsis, uti vidimus, minus abeant diversi, quam in iisdem deducendis. Hanc vero diversitatem etiam in deducendis singulis virtutibus obtinuisse, contendi non potest, quia ex altera parte rei natura hoc parum admittit, ex altera vero, quia Seneca huic speciali philosophiae parti, pro tota sua philosophiae

14) Diog. Laërt. VII. 126. — Stob. ecl. II. p. 104 et 108.
15) Ep. 94., quo loco etiam Aristonis et Cleanthis exponuntur sententiae.

rum aestimatione apud Stoicos conspicimus, fortassis et placito illi celebri, quod omnia laudabilia et secus facta paria sint [10]), aliquid de paradoxo, quod primo adspectu illi inest, detrahi poterit, etiamsi non adsint loci, quibus aperte leniatur. Adest quoque placitum, quo omnia bona paria esse dicuntur; attamen diversitatem esse in tanta quae negari non potest aequalitate, vidimus. Similiter statuendum mihi videtur, Stoicos, quamvis peccata et bene facta omnia paria esse existimaverint, tamen in his quoque discrimen aliquod concessisse [11]), cum in illis alia malitia et propenso ad malum animo, alia imbecillitate magis fundantur humana, in his vero alia naturae humanae tum ex rationali tum ex animali parte aeque sint consentanea, alia destituta sint hac convenientia, immo saepe pugnam difficillimam et gravissimam cum parte animali desiderent [12]), ita ut de omnibus actionibus id fere valeat, quod ipse de beneficiis dicit Seneca [13]): Multum interest, utrum ali-

10) Stob. ecl. II. 220. — Cic. pro Mur. cap. 29. — De fin. III. 14. — IV. 20. et 27. — Parad. III. 1.

11) Stob. ecl. II. p. 218. "Ισα δὲ λέγουσι εἶναι πάντα τὰ ἁμαρτήματα, οὐκ ἔτι ὅμοια etc. — Cic. de fin. IV. cap. 27. et 28. — Parad. III. 2.

12) Cf. Tennemann. Gesch. d. Phil. IV. p. 111. ss.

13) Sen. de benef. VI. 12.

quis beneficium nobis det sua causa, an nostra, an sua et nostra.

Jam reliquum est ut paucis examinemus quomodo generalis haec, de qua diximus, pars a Stoicis et a nostro ad vitam relata sit, quomodo utrique praecepta specialia ad moderandam vitam inde deduxerint, et virtutes singulas e summo bono derivaverint. Brevissime de his exponere nobis licebit, tum, quia ipsi Stoici minorem in hanc partem impenderunt operam [14]), quamvis iidem primi virtutum singularum deductionem tentarunt [15]), tum, quia positis generalioribus istis, reliqua sponte fere subsequuntur, tum denique, quia ea, in quibus Seneca et Stoici ex hac parte inter se discrepant, minora sint necesse est, quam in reliquis, cum in principiis generalibus ipsis, uti vidimus, minus abeant diversi, quam in iisdem deducendis. Hanc vero diversitatem etiam in deducendis singulis virtutibus obtinuisse, contendi non potest, quia ex altera parte rei natura hoc parum admittit, ex altera vero, quia Seneca huic speciali philosophiae parti, pro tota sua philosophiae

---

14) Diog. Laërt. VII. 126. — Stob. ecl. II. p. 104 et 108.
15) Ep. 94., quo loco etiam Aristonis et Cleanthis exponuntur sententiae.

contemplandae ratione, minus operae dicavit, et de singulis quidem virtutibus saepissime sermonem instituit, quomodo vero derivandae sint e summo principio, non demonstrat. Probabile tamen est Senecam et ipsum secutum esse notissimam illam Stoicorum rationem, qua virtutem quattuor potissimum modis conspicuam fieri demonstrant, scilicet prudentia, fortitudine, constantia et justitia, quarum qui unam habeat, reliquis carere non possit, quia non sint nisi idem constans atque immutabilis animi habitus, in variis vitae momentis conspicuus [16]. Idem consequitur ex iis, quae Senecae de summo bono et de virtute placuisse supra exposuimus. Ubique enim ita disserit, ut doceat, cuique rei, praesertim mediis, suum esse tribuendum pretium, quod secundum Stoicos prudentiae est [17], quae prae caeteris res medias recte aestimet [18]; ubique temperandum esse dicit a malis, eligere jubet bona, in quo Stoica posita est temparantia [19]; ubique commendat fortitu-

---

16) Cic. Acad. I. 10. — Plut. de virt. mor. cap. 2. — De Stoic. repg. p. 1034. — Stob. ecl. II. p. 110. — Diog. Laërt. VII. 125.

17) Stob. ecl. II. p. 102. et 112.

18) Stob. ecl. II. p. 108.

19) Stob. ecl. II. p. 102. 104. et 108.

dinem, qua nullo incommodo nullisque periculis deterreamur a recto, et ne morte quidem proposita ad malum deflecti patiamur, quae simul Stoicorum ἀνδρία est[20]); ubique tandem laudat justitiam suum cuique tribuentem humanamque naturam in quolibet reverentem, quae Stoicis quarta est virtus[21]). Quomodo vero ex quattuor illis virtutibus omnes reliquae derivari possint, non est hujus disputationis demonstrare. Id tantum est, quod moneamus, Senecam pro ea ratione, qua nexum, hominum et universi vitam conjungentem communi amoris vinculo, animo sibi cogitaverat, necessario eo adductum fuisse, ut ubique amorem erga reliquos praevalere vellet, quod supra luculentius expositum est.

Liceat mihi in fine verbo mentionem facere illius philosophiae partis, quam παραινετικὴν Graeci, Latini praeceptivam vocant, et quid de hac Stoici et Seneca senserint, exponere. Aristo Stoicus et Cleanthes, Seneca ipso teste[22]), hanc partem utilem quidem judicarunt, sed imbecillam, nisi ab universo profluat, et, si cum illa altera parte comparetur, paene negligendam, cum e constitutione

20) Stob. ecl. II. p. 102. — Cic. de fin. III. 8.
21) Stob. ecl. II. p. 102. et 108.
22) Ep. 94. init.

contemplandae ratione, minus operae dicavit, et de singulis quidem virtutibus saepissime sermonem instituit, quomodo vero derivandae sint e summo principio, non demonstrat. Probabile tamen est Senecam et ipsum secutum esse notissimam illam Stoicorum rationem, qua virtutem quattuor potissimum modis conspicuam fieri demonstrant, scilicet prudentia, fortitudine, constantia et justitia, quarum qui unam habeat, reliquis carere non possit, quia non sint nisi idem constans atque immutabilis animi habitus, in variis vitae momentis conspicuus[16]. Idem consequitur ex iis, quae Senecae de summo bono et de virtute placuisse supra exposuimus. Ubique enim ita disserit, ut doceat, cuique rei, praesertim mediis, suum esse tribuendum pretium, quod secundum Stoicos prudentiae est[17], quae prae caeteris res medias recte aestimet[18]; ubique temperandum esse dicit a malis, eligere jubet bona, in quo Stoica posita est temparantia[19]; ubique commendat fortitu-

16) Cic. Acad. I. 10. — Plut. de virt. mor. cap. 2. — De Stoic. repg. p. 1034. — Stob. ecl. II. p. 110. — Diog. Laërt. VII. 125.

17) Stob. ecl. II. p. 102. et 112.

18) Stob. ecl. II. p. 108.

19) Stob. ecl. II. p. 102. 104. et 108.

dinem, qua nullo incommodo nullisque periculis deterreamur a recto, et ne morte quidem proposita ad malum deflecti patiamur, quae simul Stoicorum ἀνδρία est [20]); ubique tandem laudat justitiam suum cuique tribuentem humanamque naturam in quolibet reverentem, quae Stoicis quarta est virtus [21]). Quomodo vero ex quattuor illis virtutibus omnes reliquae derivari possint, non est hujus disputationis demonstrare. Id tantum est, quod moneamus, Senecam pro ea ratione, qua nexum, hominum et universi vitam conjungentem communi amoris vinculo, animo sibi cogitaverat, necessario eo adductum fuisse, ut ubique amorem erga reliquos praevalere vellet, quod supra luculentius expositum est.

Liceat mihi in fine verbo mentionem facere illius philosophiae partis, quam παραινετικὴν Graeci, Latini praeceptivam vocant, et quid de hac Stoici et Seneca senserint, exponere. Aristo Stoicus et Cleanthes, Seneca ipso teste [22]), hanc partem utilem quidem judicarunt, sed imbecillam, nisi ab universo profluat, et, si cum illa altera parte comparetur, paene negligendam, cum e constitutione

20) Stob. ecl. II. p. 102. — Cic. de fin. III. 8.
21) Stob. ecl. II. p. 102. et 108.
22) Ep. 94. init.

summi boni et ex philosophiae decretis singulis temporibus semper quid agendum sit aut omittendum, sponte eluceat, et cum praeceptis, nisi in animo insit cognitio, recta illa esse et necessaria, nihil perficiatur. Seneca vero ipse de re proposita ita disputat, ut philosophiam praeceptivam, si ad vim et auctoritatem respiciamus, quam in vita moderanda exhibeat, non supervacuam quidem esse dicat, sed [23]) eandem ad consummandam sapientiam non satis valere contendat, ita ut actiones honestae et praeceptis fiant, non tantum praeceptis [24]). Haec vero omnia jam magis a philosophia ad meram prudentiam recedunt, qua impetus nostros aliorumque reprimere debeamus. Superest tamen alterum quoddam, quod supremae disputationis materiam praebeat, quod nec praetermitti poterat nec injuria hic locum suum obtinebit, quia certe huic philosophiae parti originem debet, quamvis etiam non inepte prioribus adnecti potuisset, scilicet ea, quae Stoicis et Senecae de morte voluntaria placuerint.

Comprobatam esse mortem voluntariam a Stoicis non minus quam a Seneca, neque

23) Ep. 95. init.
24) L. l. p. 58.

comprobatam solum sed etiam celebratam veluti summum, ad quod sapiens pervenire possit, inter omnes constat, neque a primis inde defuerunt temporibus, qui illud placitum vituperarent et carperent, quod fortassis non injuria factum est. Ne enim in universum de eo disputemus, num liceat sibi ipsi mortem adsciscere: id exponamus, quomodo et quando Stoici vitae manum inferre permiserint, numque ex systematis ratione, siquidem sibi constare voluerint, illud ab ipsis statui potuerit. Cum summum bonum ex Senecae et Stoicorum sententiis sit unum atque simplex, idque positum in virtute, vita vero diversa sit a virtute, facillime inde efficiebatur, vitam non esse bonum, neque mortem malum [25]), sed referendam in res medias. Res mediae vero non nisi accedente virtute bona fieri possunt. Vita igitur, quae non servari potest, nisi vitio, malum est. Abjiciatur igitur, si virtus et vita non una servari possunt, exempli causa pro patriae et amicorum salute et in similibus [26]), aut si nequitia et sceleribus tantum vindicemur a morte [27]), et tum mors facta est bonum, quae aliter est in rebus

25) Ep. 30. p. 97.
26) Diog. Laërt. VII. 130.
27) Sen. de ira III. 15.

summi boni et ex philosophiae decretis singulis temporibus semper quid agendum sit aut omittendum, sponte eluceat, et cum praeceptis, nisi in animo insit cognitio, recta illa esse et necessaria, nihil perficiatur. Seneca vero ipse de re proposita ita disputat, ut philosophiam praeceptivam, si ad vim et auctoritatem respiciamus, quam in vita moderanda exhibeat, non supervacuam quidem esse dicat, sed [23]) eandem ad consummandam sapientiam non satis valere contendat, ita ut actiones honestae et praeceptis fiant, non tantum praeceptis [24]). Haec vero omnia jam magis a philosophia ad meram prudentiam recedunt, qua impetus nostros aliorumque reprimere debeamus. Superest tamen alterum quoddam, quod supremae disputationis materiam praebeat, quod nec praetermitti poterat nec injuria hic locum suum obtinebit, quia certe huic philosophiae parti originem debet, quamvis etiam non inepte prioribus adnecti potuisset, scilicet ea, quae Stoicis et Senecae de morte voluntaria placuerint.

Comprobatam esse mortem voluntariam a Stoicis non minus quam a Seneca, neque

23) Ep. 95. init.
24) L. l. p. 58.

comprobatam solum sed etiam celebratam veluti summum, ad quod sapiens pervenire possit, inter omnes constat, neque a primis inde defuerunt temporibus, qui illud placitum vituperarent et carperent, quod fortassis non injuria factum est. Ne enim in universum de eo disputemus, num liceat sibi ipsi mortem adsciscere: id exponamus, quomodo et quando Stoici vitae manum inferre permiserint, numque ex systematis ratione, siquidem sibi constare voluerint, illud ab ipsis statui potuerit. Cum summum bonum ex Senecae et Stoicorum sententiis sit unum atque simplex, idque positum in virtute, vita vero diversa sit a virtute, facillime inde efficiebatur, vitam non esse bonum, neque mortem malum [25]), sed referendam in res medias. Res mediae vero non nisi accedente virtute bona fieri possunt. Vita igitur, quae non servari potest, nisi vitio, malum est. Abjiciatur igitur, si virtus et vita non una servari possunt, exempli causa pro patriae et amicorum salute et in similibus [26]), aut si nequitia et sceleribus tantum vindicemur a morte [27]), et tum mors facta est bonum, quae aliter est in rebus

25) Ep. 30. p. 97.
26) Diog. Laërt. VII. 130.
27) Sen. de ira III. 15.

mediis[28]), denique si morbis gravissimis iisque non sanabilibus adflictum corpus inutile sit ministriis[29]). Priora non repugnant caeteris Stoicorum placitis, postremum iisdem non convenit. Valetudo enim non minus quam vita in media referenda est, quae accedente virtute bonum fit, quae igitur non abjicienda aut morte fugienda est. Stoici hac in re maxime admoniti sunt mortalitatis. Ne vero hoc iis objiciamus, — defendit enim Seneca[30]) Stoicos, et mortem non propter dolorem quaerendam dicit, sed si fines ab ipsa natura propositos adsequi nequeamus, quamvis aliis in locis facillime ferri posse fortunam dicit, quia liceat fugere cum pugnare non velimus[31]), — majora in hoc placito peccarunt, et praesertim Seneca omnino potestatem vivendi aut moriendi uniuscujusque voluntati ac libero arbitrio permittens, et bene mori esse dicens effugere non male vivendi certitudinem, sed etiam periculum[32]), hoc ipso placito maxime testatur, se alienissimum esse a Stoica illa superbia, qua sapienti ab-

28) Ad Marc. cap. 19. p. 209.
29) Diog. Laërt. VII. 130.
30) Ep. 58. p. 180. s.
31) De provid. cap. 6. p. 244.
32) Ep. 70. p. 227.

solutam perfectionem tribuebant, immo fortassis animo humano minus fortitudinis concedit, quam quae in singulis hominibus saepius adparuit. Praesertim vero in hoc parum sibi constitit, quod ex hac parte immoderatum fere jus in vitam suam tribuit homini, ex altera tamen perspexit, neminem mortalium ad absolutam unquam pervenisse perfectionem, quae expetenda sit omnibus [33]. Itaque tempore quam maxime utendum [34], et omnino vivendum esse praedicat, quia quidquid aetatis retro sit, morte teneatur, et quia mors non una veniat, sed quae veniat ultima mors sit [35]. In his omnibus non difficile est, pugnantia demonstrare, quae undique obviam occurrunt, praesertim si respicimus ad rationem, quam inter deum, mundum et homines obtinere docet noster. Ex altera vero parte ista placita non omnino sunt improbanda, si ad tempora immania respexerimus, quibus vixit Seneca, cum saepissime mors sola esset, qua a cruciatibus et saevissima barbaria vindicari poterant homines. Felicem Se-

33) Ep. 27. p. 88. Hoc denique citra diem mortis tibi praesta: Moriantur ante te vitia.

34) Ep. 1. p. 3. s. — Ep. 2. p. 5. et passim.

35) Ep. 24. p. 81.

mediis[28]), denique si morbis gravissimis iisque non sanabilibus adflictum corpus inutile sit ministriis[29]).. Priora non repugnant caeteris Stoicorum placitis, postremum iisdem non convenit. Valetudo enim non minus quam vita in media referenda est, quae accedente virtute bonum fit, quae igitur non abjicienda aut morte fugienda est. Stoici hac in re maxime admoniti sunt mortalitatis. Ne vero hoc iis objiciamus, — defendit enim Seneca[30]) Stoicos, et mortem non propter dolorem quaerendam dicit, sed si fines ab ipsa natura propositos adsequi nequeamus, quamvis aliis in locis facillime ferri posse fortunam dicit, quia liceat fugere cum pugnare non velimus[31]), — majora in hoc placito peccarunt, et praesertim Seneca omnino potestatem vivendi aut moriendi uniuscujusque voluntati ac libero arbitrio permittens, et bene mori esse dicens effugere non male vivendi certitudinem, sed etiam periculum[32]), hoc ipso placito maxime testatur, se alienissimum esse a Stoica illa superbia, qua sapienti ab-

28) Ad Marc. cap. 19. p. 209.
29) Diog. Laërt. VII. 130.
30) Ep. 58. p. 180. s.
31) De provid. cap. 6. p. 244.
32) Ep. 70. p. 227.

solutam perfectionem tribuebant, immo fortassis animo humano minus fortitudinis concedit, quam quae in singulis hominibus saepius adparuit. Praesertim vero in hoc parum sibi constitit, quod ex hac parte immoderatum fere jus in vitam suam tribuit homini, ex altera tamen perspexit, neminem mortalium ad absolutam unquam pervenisse perfectionem, quae expetenda sit omnibus [33]. Itaque tempore quam maxime utendum [34], et omnino vivendum esse praedicat, quia quidquid aetatis retro sit, morte teneatur, et quia mors non una veniat, sed quae veniat ultima mors sit [35]. In his omnibus non difficile est, pugnantia demonstrare, quae undique obviam occurrunt, praesertim si respicimus ad rationem, quam inter deum, mundum et homines obtinere docet noster. Ex altera vero parte ista placita non omnino sunt improbanda, si ad tempora immania respexerimus, quibus vixit Seneca, cum saepissime mors sola esset, qua a cruciatibus et saevissima barbaria vindicari poterant homines. Felicem Se-

33) Ep. 27. p. 88. Hoc denique citra diem mortis tibi praesta: Moriantur ante te vitiia.

34) Ep. 1. p. 3. s. — Ep. 2. p. 5. et passim.

35) Ep. 24. p. 81.

necam, qui philosophiae suae praeceptis ac vi ad mortem ita erat praeparatus, ut, cum urgeret necessitas, placidissimam et pulcherrimam obire posset [36]). Non est igitur quod vituperemus virum, cujus vitae exitus satis demonstravit, illa de morte praecepta, si non arctissime conjuncta fuerint cum systemate, tamen eo magis conjuncta fuisse cum vita et cum tempore, quo vixit. Huic vero in omnium philosophorum placitis aliquid tribuendum esse, quis est qui neget?

36) Cf. Schweighaeuser: Vita Senecae.